[redacted]

[redacted]

[redacted]

DE VERBORUM

CUM PRAEPOSITIONIBUS COMPOSITORUM APUD VETERES ROMANORUM POETAS SCAENICOS CUM DATIVO STRUCTURA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE XVIII M. JUNII A. MDCCCLXXVIII HORA XII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HENRICUS HAHN

RHENANO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

FRIDERICUS BÖTTNER DR. PHIL.

MARTINUS PENNIGSDORF DR. PHIL.

HALIS SAXONUM

TYPIS KARRASIANIS

MDCCCLXXVIII.

Praefatio.

Jam pridem ii qui, quo modo leges sermonis latini paulatim excultae sint, quaesiverunt accuratius perscrutandum esse intellexerunt, quam rationem cuiusque aetatis scriptores in construendis verbis cum praepositionibus compositis secuti sint. primus enim Hildebrandus (progr. gymnasii Tremontani 1858 et 1859) verba apud *Ciceronem Caesarem Livium* cum 'a de ex' praepositionibus composita conlegit: conlecta in suum usum convertit Kuehnastius (synt. Livian. p. 165 sqq.). Hildebrandum cui verbis in praepositionum ordinem digestis omnes locos ubi illa invenit e tribus quos tractavit scriptoribus congessisse satis fuit secuti sunt: Adolphus Lehmannus (de verborum compositorum quae apud *Sallustium Caesarem Tacitum* leguntur cum dativo structura commentatio. Vratislaviae 1863) qui, quod primus certa via rationeque de his verbis disputavit, valde laudandus est, Augustinus (de usu dativi ac praepositionum in structura verborum compositorum quae apud *Ciceronem* leguntur. progr. gymnasii Ratibor. 1869), Ignatius (de verborum cum praepositionibus compositorum apud *Cornelium Nepotem T. Livium Curtium Rufum* cum dativo structura. Halis 1877).

Ii igitur quos supra nominavi viri docti eos sibi elegerunt scriptores, qui suo ipsorum ingenio vel maxime accommodati essent. sed ego in ea omnino sum sententia eos qui, quem ad modum leges sermonis latini paulatim excultae sint, perscrutari student hanc rationem sequi debere, ut cognito utique primum antiquiorum scriptorum genere dicendi tum demum, quali posteriores usi sint quantumque hi ab illis discesserint, perquirant: nam hac sola ratione fit, ut ad

perfectam et omni ex parte absolutam totius linguae cognitionem perveniamus. illa vero ratio iis praecipue ineunda est qui in quaestione de verborum compositorum structura versantur. sed omnes scriptores hoc consilio perlegere tanti est operis, ut paulatim tantum res ad finem perduci possit. itaque, ut tamquam certo firmoque in hac quaestione fundamento niteremur, de constructione verborum compositorum quae apud *priscos poetas scaenicos* leguntur sic quaerere satis habui, ut primum de iis quae cum accusativo, deinde de iis quae cum dativo, denique de iis quae cum ablativo coniunguntur, agerem. sed quoniam eorum verborum tanta est copia, ut in unius libelli fines cogi nequeant, nunc potissimum verba intransitiva quibuscum dativus coniungitur digna mihi visa sunt, de quibus quaereretur.

Sed antequam ad exponendum horum verborum usum accedam quam brevissime mihi dicendum est primum, quid discriminis inter dativum et ceteras (cf. infra) structuras apud pristinae aetatis poetas intercedat, deinde, quo modo verba composita quibuscum dativus coniungitur disponenda esse putaverim, denique, quibus editionibus usus omninoque quod consilium in exemplis adferendis secutus sim.

Ipsa verborum compositorum significatione[1]) efficitur, ut plures constructiones admittantur: pleraque enim composita dativum vel praepositiones, nonnulla et dativum et accusativum et praepositiones adsumunt.

Ut igitur nunc de harum constructionum et usu et discrimine universe, quantum fieri potest, disseram, omnibus verbis compositis localis ut ita dicam significatio subest, quam e praepositione[2]), quacum composita sunt, recipiunt: exprimunt enim aut motum aut eum qui ex antecedenti motu

---

[1]) Zumptium (gramm. § 415) dicentem eum dativum qui verbis compositis adicitur non e vi, quae ipsis subesset verbis, pendere, sed, ut effusior oratio tamquam substringeretur, pro repetita praepositione poni iam Lehmannus (p. 3) ita refutavit, ut ne verbum quidem addi necesse esse videatur. (cf. Ignatium p. 6 et infra p. 4).

[2]) praepositiones enim proprie adverbia loci esse demonstravit Haasius 'vorlesungen über latein. sprachwissenschaft ed. Eacksteinius Lips. 1874 I, p. 122.

proficiscitur quietis statum. quae vis ubicunque servatur dilucideque significatur, prisci poetae semper praepositionem verbi compositi ipsam vel similem ponunt sive id cui praepositio adiungitur verbum proprio sensu usurpant sive per translationem, nisi quod semel *Ennius* apud Serv. in Aen. II 65 'occumbendi' verbo, quo proprie merus exprimitur motus, dativum 'morti' adiunxit trag. frag. v. 384 ed. Ribbeck.:

'. . . . . . ut vos vostri liberi
Defendant, pro vostra vita morti occumbant fortiter.'

sic enim vulgo legitur, Ribbeckius pro 'fortiter' e codice *Cass.* 'obviam' recepit, quod in *Fuld.* intercidit. quae lectio si genuina est — id quod equidem sane veri simillimum duco — iam minus insolenter positus esse videtur dativus, quoniam adiecto 'obviam' adverbio 'movendi' verba talem induunt notionem, ut dativus iis adponi possit, quamquam apud priscos poetas semper dativus *personae* non *rei* ponitur. sed idem ille dativus ne a simplici quidem 'mittendi' verbo alienus est, *Plaut.* Capt. III 5, 34 (692): 'te morti misero', similiterque *Accius* quoque (v. 491 R) dicit: 'Tun . . socium mittis leto?'. itaque nescio an his dativi formis si non proprias locativi casus formas at obsoleti certe illius casus reliquias contineri rectius censeamus [1]); de quo recte iudicavit Lehmannus (p. 19 et adnot. ibid.) mirum non esse dicens, quod, cum locativus iam antiquissimis temporibus e linguae latinae consuetudine exciderit et cum datiro in unum coaluerit, hoc dicendi genus illis vocibus propagatum ad similia nomina velut 'neci' 'orco' transierit. cuius generis multa exempla apud posterioris aetatis scriptores, poetas potissimum, inveniuntur (cf. Lehmann. p. 20).

Quando autem non accurate locus significatur, sed de persona aliqua sive re agitur, cui quid aut est aut contingit aut tribuitur aut coniungitur aut adpropinquat aut usui vel detrimento fit aut ad quam omnino verbi actio aliquo modo refertur, dativus suum obtinet locum, quippe cuius universa

---

[1]) cf. Nauke, observationes criticae et grammaticae in P. Papinium Statium. Vratisl. 1863 p. 17. cf. Haas. ad Reisig. p. 630 adnot. 520. vid. Reisig. p. 661; 681.

vis ac natura haec sit, ut coniunctionem vel rationem inter duas personas sive res intercedentem aut omnino id notet quod alicui actioni propositum est (cf. Ignat. p. 7). nec vero dativus locum significat: nam hanc significationem e verbis demum quibuscum coniungitur quodam modo recipit; quod fit, cum e. c. verbis, quae ad 'adiacendi' notionem revocantur, adicitur, quibus localis ut ita dicam coniunctio exprimitur (cf. Lehmann. p. 18 sqq., Augustin. p. 2). utriusque igitur structurae post verbum aliquod compositum eligendae norma semper e verbi significatione petenda est, ut Zumptius toto caelo a vero aberravisse mihi videatur qui, cur verbum aliquod compositum dativum regat, in praepositionum vi naturaque positum esse opinatur (gramm. § 415): nam, utrum cum hac an illa praepositione verbum compositum sit, nihil interest, dum modo ne significatio, quam illud e compositionis ratione recipit, ab universa dativi vi aliena sit (cf. Lehmann. p. 18).

Jam vero cum verbi alicuius compositi significatio duplicem structuram (et dativum et praepositionem) patitur, si non semper tamen non numquam subtile quoddam sententiae discrimen inter dativum et iteratam praepositionem intercedens cognoscitur, quod nobis, cum de verborum usu agemus, non est neglegendum. cernitur autem illud vel maxime ex eorum verborum constructione, quibus ipsa illa quae propria est dativi 'coniungendi' notio inhaeret. praepositionibus enim usi sunt poetae, ut, quo modo duae personae vel res inter se coniungendae essent, quam accuratissime exprimerent, dativo, ut coniunctionem simpliciter adumbrarent. omnino igitur usurpantur praepositiones, cum e dativo, quae sit sententia, non satis intellegi posse videatur: qui usus apte confertur cum 'contra erga in' praepositionibus, quibus genetivus accuratius describitur (cf. August. p. 2). sed haec hactenus (cf. p. 18 adnot.).

Dativus autem et accusativus nondum certo usu in verborum compositorum structura distincti sunt. neque enim paucis verbis apud hunc poetam dativus, apud illum accusativus adicitur nullo fere sententiae discrimine inter utramque structuram intercedente nisi quis sequente accusativo

haec verba notionem 'tangendi'[1]) aut omnino transitivam quae dicitur vim continere putat: id quod ipsam sententiam non mutat. an investigaverit quispiam subtile quoddam dicendi discrimen inter *paternae vocis sonitus auris accidit,* quod Plauto (Stich. 88) et *horum nihil quicquam accidet animo novom,* quod Terentio (Phorm. 250) placuit? quin etiam saepius unus idemque poeta utraque structura promiscue usus est, sicuti Plautus dicit: 'Ita me dei ament, ut ob istanc rem **tibi** multa bona instant a me (Pers. 492) et 'Nescis quid **te** instet boni' (ibid. 514). causa igitur, cur verbum aliquod compositum dativum vel accusativum regat, non semper in ipsis verbis, sed saepissime in dicentis vel scribentis consuetudine, ne dicam voluntate atque arbitrio inesse mihi videtur. qua re ductus cum Haasio[2]) et Hermanno Muellero[3]) verborum illam in 'transitiva et intransitiva' distributionem a veteribus[4]) grammaticis factam omnino reiecerim, quippe quae non posita sit nisi in verborum constructione plane e cuiusque scriptoris consuetudine pendenti. neque tamen desunt verba, quibus alia, si cum dativo, alia, si cum accusativo coniunguntur, significatio inhaereat velut accedere (cf. p. 24). nihil igitur omnino de dativi et accusativi et usu et discrimine dici potest, quod et in omnes poetas et in omnia verba cadat. sequitur, ut de unius cuiusque verbi apud unum quemque poetam usu quaerendum sit.

Altero loco de verborum distributione dicendum est. ac recte Ignatius (p. 7) Lehmannum ex parte secutus demonstrat composita intransitiva sic ad verbum substantivum revocari posse, ut ea aut quasi incohativa verbi substantivi seu simplicis seu cum praepositionibus compositi esse videantur aut huius verbi vim accuratius definiant. quod quo

---

[1]) cf. Lachmann. in Lucr. IV 568.

[2]) vorlesung. p. 95 conl. p. 157 sqq. et p. 55.

[3]) de generibus verbi p. 35 sqq. (cf. praecipue p. 38). Gryphisvald. 1864.

[4]) cf. Priscian. XI p. 552 H. XVIII p. 234 XVII p. 254. XVIII p. 136, qui Apollonium Dyscol. secutus est (de construct. p. 116, 7. 277, 9; de pron. p. 55). illarum autem vocum vim aliam esse apud Priscianum, aliam apud nostrae aetatis grammaticos notum est. cf. Mueller. l. c.

modo se habeat, ex exemplis infra positis facile adparebit: *adcurro* igitur *accido ad aliquid* idem valent quod 'currendo cadendo fit, ut ad aliquid adsim'; deinde *accubo adhaereo adsto ad aliquid* sic redeunt ad illud 'adsum ad aliquid', ut, qua quis utatur condicione, indicent et significent tamquam 'cubans haerens stans adsum ad aliquid'. transitiva autem quasi pro factitivis vel causativis — si his vocabulis uti licet — verbi substantivi habenda esse mihi videntur, quippe quae significent: 'facere, ut aliquid ad aliquid sit vel adsit.' itaque, ut exemplo ab Ignatio adlato utar, *adduco reum ad tribunal* nihil aliud significat nisi 'ducendo efficio, ut reus ad tribunal adsit'. quae cum ita sint, ab iis quae cum verbo **esse** composita sunt initium capiam; deinde et de incohativis huius verbi et de iis, quae formulam 'adsum ad aliquid' accuratius definiunt, disseram; denique de relicuis verbis intransitivis ad **esse** verbum vel ad aliquod eius compositum redeuntibus agam. primo igitur capite **esse** verbi composita, altero et ea in quibus inest notio 'contingendi'[1]) aut 'adpropinquandi' vel 'coniungendi' et ea quae his contraria sunt enumerabo. quibus verba cum 'ante et prae' praepositionibus composita adiungam, in quibus inest comparationis cuiusdam notio. nam cum comparatio fieri nequeat nisi sic, ut duae personae sive res aut inter se coniungantur aut sibi opponantur, dilucidissime adparet eum dativum qui his verbis adicitur universam habere vim.[2]) tertio capite de relicuis verbis disputare volui, e quibus pleraque redeunt ad notionem 'auxiliandi' vel 'nocendi' aut omnino significant: 'aliquem alicui amicum vel inimicum aut propitium vel iniquum esse.' quae verba plerumque dativus quem proprie dicimus commodi vel incommodi, raro accusativus, numquam praepositio sequitur. sed cum materiam adeo augeri viderem, ut vererer, ne inauguralis dissertationis

---

[1]) cf. Ignat. p. 7.

[2]) huius dativi vis qualis sit, Lehmann. (p. 61) accuratius exposuit. — vides autem his verbis non meram exprimi comparationem ut verbis 'comparare componere conferre', sed duas res sive personas ita tantum sibi opponi, ut, utri earum palma tribuenda sit, facile cognoscatur.

finibus coërceri non posset, ea verba una cum transitivis alio loco alioque tempore edere mihi proposui. universam autem dativi vim ex omnium, de quibus infra agetur, verborum significatione facile recognoscas, quamvis varia sit eorum cum praepositionibus compositio. itaque non video, cur — quod Lehmannus et Ignatius fecerunt — hanc commentationem in singulas dividi partes oporteat, quae de dativo commodi vel incommodi aut coniunctionis inscribuntur.

Restat, ut de editionibus et ratione a me in exemplis adferendis adhibita dicam: id quod in hac quaestione non inutile esse me adsentiente docet Ignatius (p. 5). itaque in legendis fabulis *Plautinis* mihi ad manus erant editiones Parei, Bothii, Ritschelii[1]), Fleckeiseni, Lorenzii, Brixii, Spengelii, Wagneri, Ussingii, in *Terentianis* Bentlei, Fleckeiseni, Umpfenbachii editionibus usus sum. in adferendis autem Plauti versuum numeris Ritschelium et Fleckeisenum, in fabulis ab illis non editis Parei editionem Francofurti ad Moen. 1623 editam, in adferendis Terentii versibus Fleckeisenum, in relicuorum poetarum Ribbeckium[2]) sequar. de fide scripturae autem quam secutus sum cum ubique quaesiverim, tamen de iis tantum locis accuratius dicam, in quibus aut lectio suspecta est propter constructionem verbi a vulgari usu recedentem aut codicum scriptura manifesto corrupta est. corruptelarum autem genus primarium illud est, de quo disseruit Fleckeisenus[3]) in epistola critica ad Fridericum Ritschelium p. VII: "multae, inquit, in libris Plautinis — quibus adde potissimum Bembinum Terentii — casu elapsae sunt voces ac voculae, quae sine maximo aut

---

[1]) Ritschelii editio quod ad finem non perducta est, iis qui in quaestionibus de Plauti sermone sive metris versantur graviter dolendum est: nam Pareum, cuius editio II iis qui in fabulis a Ritschelio non editis artem criticam exercere volunt adhuc utenda est, etsi alioquin de fabularum Plautinarum emendatione optime pro illius aetatis doctrina sine dubio meritus est, tamen non numquam codices satis accurate nec legisse nec contulisse haud semel Ritschelius testatus est.

[2]) scaenicae Romanorum poesis fragmenta secundis curis ed. O. Ribbeckius Lips. 1873 II vol.

[3]) hodie sane paulo aliter de hac re iudicandum esse non ignoro.

sententiae aut sermonis aut exploratarum atque indubitatarum legum metricarum detrimento desiderari non possunt": quod vel maxime in praepositiones cadere satis superque cognovi. cum igitur praepositio intercidit neque metrum, quod quidem perraro factum est, perturbatur, quaeritur, utrum genus dicendi eius poetae apud quem exemplum legitur praepositionem utique poscat an aliquo modo ea deesse possit. qua in re semper non id solum quod est in codicibus accuratissime notari, sed illud quoque quod interpretes editoresque ad locum de quo agitur aut sanandum aut explicandum excogitaverunt paulo copiosius quam in aliis quaestionibus grammaticis et adferri et in iudicium vocari opus est. quod si quis reprehenderit, utpote quod inutiliter admixtum sit, de antiquissimorum poetarum genere dicendi quaeri obliviscetur: nam nemo ignorat, quanto opere viri docti de illis ipsis rebus inter se dissentiant, quae iis qui in suspectis locis sanandis versantur numquam neglegendae sunt, veluti de syllabarum mensura aut de legibus metricis. neque vero illud non agam, ut, quantum in adhibendis verbis compositis posteriores poetae ab antiquioribus dissideant, perquiram: quamquam haec disquisitio fere in Plauto et Terentio continetur, cum relicuorum poetarum fragmenta tam depravata atque exigua sint, ut vix quicquam certi ex iis effici mihi videatur.

Iam adparet mihi potissimum de dicendi discrimine quaerendum esse quod est inter dativum et repetitam praepositionem. itaque dixerit quispiam me in hac re erravisse, quod de iis quoque verbis disputavi, quae praepositio nusquam sequitur, dico 'evenire' 'succedere' omnino ea verba composita, quorum praepositio propriam (cf. p. 2) vim non servavit (vid. Zumpt. § 415 adnot.). sane ne ego quidem ignoro ea verba ad nostrum propositum proprie non pertinere, quoniam dativus qui iis adicitur non pendet e verbi cum praepositione compositione vel, ut clarius dicam, praepositionis cum casu iunctae munere non fungitur. sed Ignatium secutus eo magis haec verba digna esse putavi, de quibus ageretur, quod non solum eos qui quaestionibus grammaticis operam dant, sed etiam eos qui in lexicis Plau-

tinis vel Terentianis conscribendis versaturi erunt ex hac commentatione fructus aliquid recipere volui.

Denique adfirmo omnia exempla et diligentissime et accuratissime me adferre studuisse, sed cum in copia exemplorum paene immensa facile fieri possit, ut hoc vel illud eum qui conligit effugiat, ab iis qui haec legunt peto, ut, sicubi aliquod exemplum omiserim, benigne mihi ignoscant. haec habui, quae praemonerem: iam ad ipsa exempla conligenda accedo.

Caput I.

1. **Abesse** (Pl. Pac.)[1], cuius significatio simplici verbo contraria est, cum dativo *personae* iunctum reperitur apud *Plautum,* Cistell. II 1, 12: 'neque nisi quia miser non eo pessum, mihi ulla abest Perdito pernicies' Amphitr. 1081: 'ita animus *meus* mihi etiamnunc abest'; apud *Pacuvium* idem dativus legitur v. 357: 'quibus abest ad praecavendum intellegendi astutia'; apud *Terentium* quod ne uno quidem loco dativus extat, satis miror. cum autem de duabus personis sive rebus agitur, quarum altera ab altera spatio aliquo interposito remota est, semper ponitur praepositio **a** cum ablativo et *personae* et *rei* coniuncta. adhibetur autem hoc verbum proprio sensu 1) sequente ablativo personae *Plaut.* Bacch. 1139: quom a pecu cetero absunt' (scil. oves) — addito *longe* adverbio Merc. 894: 'non longe hinc abest a nobis' (scil. amica), Curc. 117: 'quam longe a me abest' (scil. Liber), Truc. III 1, 12: 'nam oves illius hau longe absunt a lupis', *Terent.* Heaut. 399: 'Nam dum abs te absum, omnes mihi labores fuere quos cepi leves' et adposito *multum* adverbio Heaut. 668: 'Nisi me animus fallit, haut multum a me aberit infortunium'; 2) sequente ablativo rei *Plaut.* Bacch. 6: 'qui (Ulixes) viginti annis errans a patria afuit', Epid. V 2, 16: 'Num ab domo absum?' — ablativo 'domo' praepositio

[1] his litteris unius cuiusque paragraphi initio adpictis uncisque inclusis indico, apud quemnam ex illis poetis id de quo quaeritur verbum cum dativo iunctum legatur. interrogandi signum adieci, ubicunque aut certis adductus causis, num hic vel ille poeta dativo re vera usus sit, dubitandum aut dativum non propria vi usurpatum esse putavi.

'a' in libris adiuncta est etiam Stich. 523: 'Iam redeo. nimiast voluptas, si diua fueris a domo.' sic enim repugnante metro exhibent libri. trochaicos numeros iam Acidalius quem novissimi editores secuti sunt recte restituit sic: 'Iam redeo. nimiast voluptas, si diu afueris domo.' deinde hoc verbum translato sensu usurpatum cum 'a' praepositione iungitur *Plaut.* Trin. 1011: 'si aberis ab eri quaestione' h. e. si aberis, cum erus te quaeret. 'aberis' enim hoc loco pro codicum scriptura 'abieris' scribendum esse intellexit iam Camerarius. Epid. I 1, 15: 'at *enim* unum a praetura tua, Epidice, abest', quod fere idem est ac 'praeturae tuae abest vel deest.' eodem pertinet Capt. 271: 'Proxumum quod sit bono quodque a malo longissume, Id volo' h. e. 'a malo absit.' hic usus confirmatur etiam *Afranii* versu 242: 'scias abesse ab lustris ingenium procul.' huic verbo cognatum est

2. **Deesse** (Pl. Afr.), quod dativus personae sequitur *Plaut.* Bacch. 37: 'Pol magis metuo mi in monendo ne defuerit optio'. sic enim recte Ritschelius duce ex parte Bernaysio hunc versum scripsit, cum libri perverse pro 'optio' 'oratio' exhibeant. Bacch. 38: 'Pol ego metuo lusciniolae ne defuerit cantio', Truc. II 4, 88: 'me potius non amabo quam huic desit amor' h. e. 'quam non ametur a me'. *Afran.* v. 62: 'Non desunt mihi, qui ultro dent'. *Terentius* huius usus exempla praebet nulla. nullus autem ex his poetis sic hoc verbo usus est, ut significet aut 'alicui quod convenit non praestare' aut 'alicui rei de industria consilioque non adesse'.

3. **Adesse** (Pl. Ter. Nov.?). huic verbo, quo verbi simplicis significatio accuratissime describitur, *Plautus* dativum personae adposuit Cas. III 3, 8: 'Rogitare oportet prius... adsitne animus ei necne, quem advocet', Bacch. 718: 'CH. Pistoclero nulla amicast? MN. Immo adest (scil. ei), Truc. IV 3, 39 qui versus sic in B scriptus est: 'Vir erat, plus valebat, vicit, quod petebat adstuni', in C pro 'adstuni' extat 'adest vni'. versum sic restituit Pareus: 'Vir erat..... quod petebat uni adest', rectius Camerarius, quem novissimi editores secuti sunt, scripsit: 'Vir erat..... quod petebat abstulit'. neque Truculenti versus IV 2, 52 ita, ut in codi-

cibus legitur, sanus est: exhibet enim B: 'nec mihi adest adillũ pensi iam quos capiam calceos' itemque CD nisi quod pro 'adillũ' habent 'ad illum'. verum vidisse mihi videtur Spengelius, qui duce ex parte Acidalio scripsit: 'Nec mihi adest, ad hilum pensi iam quo (h. e. quo argento) capiam calceos', quamquam nescio an hic versiculus una cum versu 51 delendus sit: nam ineptissime iis orationis progressus interrumpitur. Mostell. 1137: 'Nunc utrisque disceptator eccum adest', Mil. 897: 'en tibi adsunt quas me iussisti adducere', Pseud. 948: 'Lepida ibidem una aderit mulier tibi super savia savia quae det'. quam versus scripturam a Fleckeiseno propositam equidem probo, quippe quae haud ita multum a codicibus BCD recedat, in quibus legitur: 'lepida ibidem una aperit mulier tibi suavia super uiaque decet'. vides autem dativum 'tibi' tamquam *ἀπὸ κοινοῦ* et ad 'aderit' et ad 'det' referri posse. Ritschelius hunc versum sic scripsit: 'Ibidem una aderit mulier lepida, super savia tibi quae savia det'. Mil. 219: 'Viden hostis tibi adesse tuoque tergo opsidium'? Trin. 146/47: 'CA. Circumspicedum te, ne quis adsit arbiter Nobis et quaeso identidem circumspice'. exhibent enim in initio versus 147 libri: 'nobis et quaeso' Callicli continuata et cum superiore versu constructa. quam scripturam Ritschelius cum Bergkio [1]) et Fleckeiseno [2]) improbavit, quippe cum Megaronidis responsum, quocum hic loquitur Callicles, desideraretur. itaque dativo 'nobis' tamquam glossemate eiecto hanc coniecturam recepit: 'ME. Non est. CA. Sed quaeso identidem circumspice'. sed ne hac quidem coniectura ipsi Ritschelio satis factum esse inde adparet, quod duas alias proposuit. (cf. adnot. crit. ad h. l.). equidem quamquam libenter fateor vix hoc loco Megaronidis responsum omitti posse, quoniam similis fere sententiarum conexus extat ac Most. 472 sqq., tamen una cum Brixio facere maluerim, qui ea, qua omnino me iudice fieri potest, ratione codicum scripturam defendit. Most. 1075: 'Adsum praesens praesenti tibi', Amph. 976: 'Nunc tu divine mi

---

[1]) censur. p. 1135.

[2]) Ritschelii adnot. crit. ad h. l.

huc fac adsis Sosia', Pseud. 181 quem versum cum Fleckeiseno lego: 'Manipulatim munerigeruli mihi iam ante aedis facite hic adsint', Amph. 1037: 'Blepharo, quaeso ut advocatus mi adsis neve abeas', Mil. 1419: 'quom advocatus bene mi ades', Amph. 824: 'Mihi quoque adsunt testes, qui illut quod ego dicam adsentiant', ibid. 1131: 'Bono animo es: adsum ego auxilio, Amphitruo, tibi', Bacch. 989: 'Quid me tibi adesse opus est, *quaeso*?', Epid. III 1, 14: 'nec mihi plus adiumenti ades quam ille qui nunquam etiam natust' — adiecto 'propinque' adverbio Trucul. II 6, 18: 'iam propinque miles, mea Phronesium, Tibi adest Stratophanes' — 'prope' adposito Aul. II 3, 8: 'Nunc nobis prope adest exitium mihi atque erili filiae'. idem adverbium complendi versus causa adposuerunt etiam Bacch. 987: 'Nunc *prope* adest exitium Ilio'. facile denique dativus mente addi potest Amph. 652: 'omnia adsunt Bona, quem penes est virtus', cf. ibid. 1064. dativus *rei* autem apud eundem poetam praeter Militis versum 219 iam supra adlatum tribus exemplis comprobatur, quorum primum est Men. 595: 'Omnibus male factis testes tres aderant acerrumi', cuius loci sensus hic est: in omnibus, ait Menaechmus, male factis h. e. criminibus quae clienti meo obiciebantur tres testes ab adversario exhibebantur, qui illa testimonio suo ita confirmabant, ut necessario ille convinceretur (cf. v. 594). inest igitur in verbo notio 'praesto esse alicui rei', ut paulo liberius vertam: für die erhärtung aller (den clienten belastenden) tatsachen standen (dem gegner) drei zeugen mit gewichtigen aussagen (acerrumi) zu gebote. nec vero 'adsum alicui rei' hoc loco idem valet quod 'intersum alicui rei'[1]), quasi vero testes illi facinora, quae Menaechmi clienti crimini dabantur, una cum illo perpetrassent. quae significatio apud *Plautum* nusquam omnino huic verbo subest, quod hac vi adhibitum *Terentius* cum in praepositione coniunxit (cf. infra).

---

[1]) hoc sane discrimine, ut qui *adest* semper alicuius rei ita sit particeps, ut aliquid agat vel patiatur, cum *interesse* is quoque dici possit, qui cuius rei sit testis vel socius neque idem quicquam patiatur agatve (cf. Ignat. p. 16, Nipperd. ad Nep. Att. 13, 7, Weissenb. ad Liv. I 21, 1).

alter locus est Mil. 607: 'Sed speculabor, ne quis aut hinc a laeva aut a dextera Nostro consilio venator adsit', cuius enuntiati praedicatum verbum substantivum una cum voce 'venatoris' esse nemo non videt: nam hac sola ratione haec structura explicari potest, cum libri manu scripti *consilio* non *concilio* exhibeant[1]). valet autem illud *nostro consilio venator adsit* idem ac *nostri consili venator adsit* h. e. nostrum consilium venetur, percipiat (cf. eandem sententiam Mil. 598). ille vero incommodi dativus apud comicos saepissime simplex quoque verbum sequitur, cum illud una cum nomine aliquo substantivo enuntiati praedicatum est, sed ita, ut in dativo non *res,* ut hoc loco, sed *persona* aliqua ponatur. exempla huc pertinentia congesserunt Lorenzius ad Most. 1139 conl. Mil. 605 et Brixius ad Mil. 271 conl. Capt. 525. Brixius sane ad Mil. 271 (278 ed. R): 'nam illic est Philocomasio custos' dicit: der *energischere* dativ statt des einfach unterordnenden genetivs stet häufig bei esse. sed hanc vim in dativo inesse non veri simile est. tertium denique exemplum est Capt. 826: 'Tantus ventri conmeatus meo adest in portu cibus'. hunc locum veteres interpretes Priscianum (VI p. 258, 35 H) secuti sic explicaverunt, ut illud *cibus* pro genetivo haberent. itaque verba sic construxerunt: 'Tantus conmeatus (h. e. copia) cibi ventri meo in portu adest'. sed ipsa verborum conlocatione adductus illud 'conmeatus meo ventri' pro subiecti 'Tantus cibus' appositione quam dicunt grammatici cum Brixio habendum esse puto, ut vertendum sit: soviel speise ist als proviant für meinen bauch im hafen. *Terentius* hoc verbum nisi cum dativo *personae* non coniunxit Eun. 464: 'Ubi vis, dona adsunt tibi A Phaedria', Andr. 630: 'in Denegando modo quis pudor paulum adest', Eun. 811: 'iam haec tibi aderit supplicans Ultro', Heaut. 241: 'Eccum Dromonem cum Syro una: adsunt tibi', ibid. 243: 'mulier tibi adest', ibid. 160: 'et illum tibi Salvom adfuturum esse hic confido propediem', ibid. 176: 'Et illam simul cum nuntio tibi hic adfuturam hodie scio', Eun. 764: 'Volo ego adesse hic advocatos nobis in turba hac', Phorm. 484: 'Phaedria

---

[1]) cf. Lorenz. ad h. l.

[redacted]

tibi adest'[1]). — restat *Novii* locus a Nonio 416, 2 servatus qui sic apud Ribbeckium com. fr. p. 262 legitur: 'Cur istuc vadimonio assum? † vestimentum vesceris'. sed quamquam non dubito, quin recte hic locus a Ribbeckio restitutus sit, tamen eum ad verbi structuram pertinere nego, quippe cum nihil aliud dativo nisi finis exprimatur. addita vero praepositione locus indicatur 1) **ad** *Plaut.* Amph. 504: 'sed ubi summus imperator non adest ad exercitum', Aul. III 2, 25: 'Ad focum si adesses, non fissile sic haberes caput'. apud *Terentium* huius usus exempla mihi non praesto sunt. — hic, ut omnia proponam, mihi liceat exempla nonnulla adferre, quae, cum finis significatio insit in praepositione, proprie huc non pertinent. sunt autem haec: *Plaut.* Poen. I 2, 43: 'sunt hic omnia quae ad deum pacem oportet adesse?', Men. prol. 16: 'Tanta ad narrandum argumentum adest benignitas'. sic enim scriptum est in codicibus, quod dubito, num retinendum sit cum Brixio illud *adest* similiter ac *potest*[2]) pro pyrrhichio habente. verum vidisse mihi videtur Ritschelius, qui scripsit: 'Tanta ad narrandum *nostra* adest benignitas', Mil. 918: 'Adsunt fabri architectonesque ad eam *rem* haut imperiti'. Sic enim Ritschelius quem Fleckeisenus et Lorenzius secuti sunt hunc locum vexatissimum restituit[3]). paulo aptius quidem est illud quod proposuit Ribbeckius (mus. Rhen. vol. XXIX p. 17): 'Adsunt fabri architectoni probo ad eam (sc. carinam) haud imperiti'. sed num formas 'architectones' vel 'architectoni' hic substituere liceat, in medio relinquitur: nam Plautus bis tantum (Most. 760 Poen. V 2, 150) accusativo 'architectonem' usus est, cum alibi semper forma in 'us' desinens reperiatur (Amph. prol. 45 Mil. 901, 902, 915, 1131 Truc. prol. 3). itaque, cum nemo aptius quicquam, quod sciam, adhuc proposuerit, in Brixii

---

[1]) non sane nescius sum inter haec exempla nonnulla esse, in quibus illud genus dativi legitur, quo rem pertinere ad aliquem indicatur: qui dativus, cum omnia verba promiscue sequatur, ad huius verbi structuram omnino non pertinet.

[2]) cf. Brix. ad Trin. 80 et praef. in Trin. p. 13.

[3]) in B enim perverse scriptum est 'architectique te amant', in C 'archiectique ate amea ut'.

emendatione, quamquam non omni ex parte mihi satis facit, acquiescam: 'Adsunt fabri architecti ego, tu atque haec haud imperiti'. Merc. prol. 11: 'atque advortendum at animum adest benignitas', *Terent.* Phorm. 105: 'Nil aderat adiumenti ad pulchritudinem', ibid. 313: 'ad hanc rem qui adsient', ibid. 266: 'ille ad defendendam causam adest, 2) **apud** *Plaut.* Poen. I 2, 67: 'adsum aput te', Amph. 578: 'et apud te Adsum Sosia idem|', *Accii* v. 277: 'adsum aput te, genitor'; 3) **in** *Plaut.* Amph. 425: 'nec quisquam alius adfuit| In tabernaclo'. neque inepte Mostell. v. 366 sic expleverunt: 'TR. Pater, inquam, tuos venit. PH. ubi is est obsecro? TR. *in portu iam* adest'. deinde 'in' praepositionem cum ablativo *personae* semel coniunxit *Plautus* Stich. 322: 'si in te Pudor ad sit', quae ad structura quo modo a dativo differat, cognosci non potest. *Terentius* hac praepositione ad locum significandum usus est Eun. 764 iam supra adlato cf. iufra Eun. 366. idem poeta *in* praepositionem posuit, cum de persona aliqua agitur, quae rei alicui adest vel interest, Hecyr. 409: 'Adest Parmeno cum pueris: hunc minumest opus In hac re adesse', Adelph. 355: 'Ctesiphonem audivi filium Una adfuisse in raptione cum Aeschino'. 'adfuisse' enim praebent codices praeter A, in quo 'fuisse' legitur, quod Fleckeisenus et Umpfenbachius receperunt. sed equidem Bentleio adsentior qui 'adfuisse' defendit hoc dicens: "amat noster postremas syllabas, quantum potest, cum sequentibus colliquefacere". elocutio autem 'una adfuisse' confirmatur Eunuchi versu 366: 'aderit (scil. eunuchus) una in unis aedibus' (scil. cum conserva) cf. And. 106 et Pl. Pseud. 948. restant hi duo loci, ubi 'in' praepositio cum ablativo gerundii coniuncta legitur, Eunuch. 893: 'In cognoscendo tute ipse aderis, Chaerea' et Andr. 771: 'quom in pariundo aliquot adfuerunt liberae'. — similem autem atque adesse significationem

4. **Inesse** (Pl. Afr. Nov.) habet nisi qnod praecipue adhibetur, cum de rebus quibusdam internis ut ita dicam h. e. de virtutibus agitur vel vitiis quibus quis est praeditus vel de animi adfectibus quibus quis conmovetur (cf. Kritzium ad Sall. Iug. 27, 2 et Ignat. p. 15). quod verbum, cum sim-

plex accuratius definiat, dativus sequitur *Plaut.* Poen. I 1, 70: 'inest amoris macula huic homini in pectore', Men. 135: 'Heus, adulescens, ecqua in istac (scil. praeda h. e. palla) pars inest praemi mihi?', Capt. 250: 'Memoiiter meminisse: inest spes nobis in hac astutia'. sed haec codicum scriptura mendosa est, cum ea admissa in quinto pede legendum sit *nōbĭs ĭn*, quod fieri non potest.[1]) itaque Fleckeisenus trochaicos numeros recte sic restituit: 'Memoriter meminisse: est nobis spes in hac astutia', Amph. 144: 'Tum meo patri autem torulus inerit aureus Sub petaso', *Afran.* v. 258: 'iucunditatis plus inest in te mihi'. subest vero huic verbo notio 'inhaerendi' apud *Novium* v. 106: 'huic puellae praecoquis libido inest'. praepositio autem repetitur apud Plautum Terentium Afranium. *Plautus* ea usus est ad locum indicandum Rud. 458: 'in aqua nunquam credidi Voluptatem inesse tantam', ibid. 1310: 'Ecquid meministi in vidulo qui periit quid ibi infuerit?', ibid. 1313: 'Numeri octingentis aurei in marsuppio infuerunt'[2]), ibid. 1317: 'Talentum argenti commodum magnum inerat in crumina' cf. ibid. 1314, Bacch. 941: 'hoc insunt in equo milites Armati', ibid. 733: 'iam imperatum in cera inest', Rud. 1081/82: 'crepundia Isti in ista cistula insunt, quae isti inest in vidulo', Cist. IV 2, 67: 'Mirum quin grex venalium in cistella infuerit una'. cf. Poen. I 1, 70 et Men. 135 iam supra adlatos. deinde *Plautus* praepositionem bis cum ablativo *personae* coniunxit, cum de rebus ut ita dicam internis (cf. supra) agitur quae in homine insunt, Pseud. 1109: 'Nec boni ingeni quicquam in is inest', Mil. 632: 'inest in hoc (scil. in sene) amussitata sua sibi ingenua indoles'. eodem modo *Terentius* praepositionem adhibuit Hecyr. 326, quem versum editores recte sic scripserunt:[3]) 'Nam si periclum ullum *in te* inest, perisse me una haud dubiumst', Adelph. 821: 'Multa in homine, Demea, Signa insunt, ex quibus coniectura facile fit sqq.', ibid. 826: 'Quae (h. e. signa de quibus in antecedentibus agitur) ego inesse

[1]) cf. Brix. praef. in Trin. p. 13 sqq.

[2]) sic hunc locum Ritschelius scripsit opusc. III p. 133.

[3]) in A enim omissis voc. *in te* perverse legitur: 'nam si periculum ullum sqq.'

illis video, ut confidam fore Ita ut volumus'. sic enim scriptum est in A. sed ne dicam omissa praepositione huius versus numeros violari, ipsum sententiarum conexum et illud *inesse* verbum (pro quo in relicuis codicibus simplex extat) et utique *repetitam praepositionem* poscere nemo non videt: neque enim poeta illud voluit 'signa illis hominibus esse', sed illa 'in ipsis eorum moribus ac natura inesse,' [1]) Heaut. 608: 'si redimat, magnum inesse in ea lucrum (scil. in puella). eodem pertinet *Afranii* v. 258 p. 17 adlatus. hac vero significatione adhibito huic verbo etiam *in* praepositio cum ablativo *rei* coniuncta adicitur *Plaut.* Rud. 352: 'Inest lepos in nuntio tuo magnus, mea Ampelisca', *Terent.* Phorm. 108: 'Ut, ni vis boni In ipsa inesset forma, haec formam extinguerent', Andr. 857: 'Tristis severitas inest in voltu atque in verbis fides', Eunuch. 59: 'In amore haec omnia insunt vitia: iniuriae, Suspiciones, inimicitiae, indutiae, Bellum, pax rursum'. ex his igitur exemplis subtile quoddam sententiae discrimen inter repetitam praepositionem et dativum intercedens non cognoscitur, sed illud non neglegendum esse puto *Plautum* et *Terentium* huic verbo, cum de rebus internis dicitur, constanti usu praepositionem, *Novium* dativum adposuisse. [2])

5. **Interesse** (Ter?). huic verbo, cum significat differre, semel Terentius dativum adiunxit Eun. 231: 'Di immortales, homini homo quid praestat? stulto intellegens Quid interest?'

---

[1]) id autem exemplum unum ex illis est, quibus praeclarissime illud confirmatur librum Bembinum non numquam idcirco corruptelis laborare, quod casu exciderunt voces quaedam, quae nullo modo deesse possunt.

[2]) hac enim re Lehmanni sententia videtur confirmari qui conlato Sallustii Caesaris Taciti usu demonstravit, quo quis antiquior esset scriptor, eo rarius eum dativo uti (p. 3 extr. et 65 extr.) (cf. Draeger. hist. synt. d. Lat. Spr. Lpz. 1874 p. 327 et Ignat. p. 6). sane non ignoro hanc rem apud illos quos Lehmannus tractavit scriptores ita se habere, sed dubito, num haec sententia in omnes scriptores cadat: nam comparato omnium verborum compositorum apud Plautum et Terentium usu cognovi Terentium et multo magis quam Plautum praepositionem posuisse et magis quam illum in horum verborum structura sibi constitisse.

sic enim teste Donato iam veteres interpretes, quos novissimi editores secuti sunt, recte interpunxerunt, quamquam hic dativi usus a vulgari sermone alienus est. idem poeta hoc verbum cum *inter* praepositione coniunxit, sed hoc tantum loco Adelph. 392: 'Nimium inter vos, Demea ...... pernimium inter est'. apud Plautum et relicuos poetas neque dativus neque praepositio invenitur. legitur autem hoc verbum apud illum Mostell. 408: 'Pluma haut inter est, patronus an cluens probrior [1]) siet' cf. Bacch. 461 et *Terent.* Adelph. 76.

6. **Obesse** (Pl. Enn. Ter. Acc.): *Plaut.* Pers. 832: 'At enim quod ille meruit, tibi id obsit volo', Trin. 588: 'Potissimum mihi id opsit', Mil. 996: 'Eos nunc homines metuo ne opsint mihi neve opstent uspiam', ibid. 603: 'si id inimicis usuist | Neque potest quin, si inimicis usuist, opsit tibi', Amph. 893: 'Quando ego quod feci id factum Amphitruoni offuit', Capt. 705: 'quia vera obessent illi' cf. ibid. 706. Asin. 97: 'promitto tibi Non offuturum *me*, si id hodie ecfeceris', Curc. 719: 'Et tibi oberit', ubi subiectum est totum enuntiatum quod antecedit. *Enn.* trag. fr. v. 304: 'Ne contagio mea bonis umbrave obsit', *Terent.* Hecyr. 735: 'ego . . . timida sum . . . . Ne nomen mihi quaesti obstet: nam mores facile tutor'. sic enim in omnibus codicibus scriptum est, nisi quod in uno A 'quaesti', in relicuis 'quaestus' legitur, numeris aperte refragantibus, quos ita restituit Faërnus, ut 'obsiet' pro 'obstet' scriberet. hac sane ratione et iambus in quarto pede ante diaeresin, qui poetis comicis fere solus hoc loco probatur, restituitur et antiquissimi codicis lectio paene integra servatur. rectius tamen Bentleius, ne 'quaesti' in thesi obmutescat, 'Ne nomen quaesti mi obsiet: nam mores facile tutor' scribit. sed veram rationem Donatum [2]) secutus sine dubio iniit Fleckeisenus qui antiquissima genetivi forma 'quaestuis' recepta sic scripsit: 'Ne nomen mi obstet quaestuis: nam mores facile tutor', quo fit, ut hoc exemplum huc

---

[1]) sic Ritsch., sed num recte coniecerit, dubium est.

[2]) is enim legit: 'Ne nomen mihi *quaestui* obstet'. pro 'quaestui' iam in ed. princ. quaestuis' scriptum esse testis est Umpfenbachius.

non pertineat. Heaut. 973: 'Quae istast pravitas Quaeve amentiast, quod peccavi ego, id obesse huic?', *Acc.* v. 110: 'quibus natura prava magis quam fors aut fortuna obfuit'. dativo *rei* autem nemo usus est.

7. **Praeesse** (Pl.) semel cum dativo iunctum reperitur apud *Plautum* Amph. prol. 11: 'Nam vos quidem id iam scitis concessum et datum Mi esse ab dis aliis, nuntiis praesim et lucro' (loquitur Mercurius).

8. **Prodesse** (Naev. Pl. Caec. Ter): *Naev.* com. fr. v. 37: 'diu vivat volo, Ut mihi prodesse possit', *Plaut.* Trin. 34: 'Nimioque hic pluris pauciorum gratiam Faciunt pars hominum quam id quod prosint pluribus'. 'quod prosint' enim scriptum est in codicibus (cum A), quod vindicavit Ritschelius nov. exc. I p. 58. sed non est, cur cum Ritschelio illud 'quod' pro ablativo habeamus, immo illud 'quod prosint' similiter dictum esse atque 'id illud prosum (noceo)' demonstravit Brixius ad h. l. Cistell. IV 2, 75: 'tibi nunc proderit', Cas. prol. 20: 'sed tamen absentes prosunt praesentibus', Rud. 219: 'Neque quicquam umquam is *id* profuit, qui *me* sibi eduxerunt', ibid. 688: 'Quid istaec ara Prodesse nobis *plus* potest, quam signum in fano hic intus', Capt. 315: 'Bene merenti bene profuerit male merenti par erit' cf. Capt. 554. 773 Amph. 842 Truc. IV 4, 22 Mil. 892 Bacch. 135. 632 Men. 358. 982; *Caecil.* v. 210, quem versum cum Ribbeckio lego: 'Serit arbores quae alteri saeclo prosint', *Terent.* Eun. 258. 965. 1071 Hecyr. 742. 795. 875 Andr. 677. dativum rei nusquam cum hoc verbo apud veteres poetas coniunctum inveni.

9. **Subesse** (Pl.), quod ubi cum dativo coniungitur proprie notat 'aliquid alicui rei quasi fundamento [1]) esse', semel a Plauto cum hoc casu coniungitur Truc. II 7, 17 (II 7, 19 ed. Spengel.), quem versum cum Spengelio (sed dubitanter) sic lego: 'Hoc (scil. mare) saltem servat *rem : quom* [2]) illi subest adparet'. sed qualis sit sententiarum nexus, paucis explicandum est. comparat igitur poeta meretricem cum mari

[1]) cf. Ignat. p. 8.
[2]) in BD sine sensu est: 'mecu', in C 'mecum'.

quam 'item esse, ut mare sit' (v. 16) existimat: utrumque enim quod quis det devorare, sed in hoc differre, quod *mare* illud quod ei subsit h. e. iniectum sit ita saltem in fundo servet, ut rursus adpareat, (si scil. per urinatores repetitur), cum id quod *meretrici* datum sit numquam adpareat "neque datori neque acceptrici" (v. 18). qua re lectio supra posita, praesertim cum propius accedat ad scripturam codicum quam quod vulgo legitur, vel maxime mihi placet, sed illud offendit, quod *hoc* et *illi* ad eandem rem (ad mare scil.) referenda sunt: id quod ne Spengelium quidem effugit. de pyrrhichio 'sŭbĕst' autem nunc non quaero: eum enim ferri posse dicit Spengelius, negat Ritschelius qui Trin. 1118 pro 'quod agit subest adsecue sequitur' scripsit 'Quod agit subit adsecue sequitur'. neque inepte Spengelius hoc verbum Truc. IV 2, 3: 'Nunc dum *subest,* dum habet, tempus ei rei secundumst' substituit pro *iusti iubet* quod corrupte exhibent libri. ad illud 'dum subest' autem 'pecunia amatori' mente addendum esse e sententiarum nexu adparet. praeterea idem verbum legitur Most. 920: 'ne qua causa supsiet' nullo casu adiecto.

10. **Superesse** (Pl. Ter). huic verbo, cum significat *relinqui* aut *nimium esse,* personae dativum adiecerunt *Plautus* Curc. 85: 'Si quid super illi fuerit, id nobis sat est', Men. 221: 'neqne defiat neque supersit' (scil. iis), Pers. 331: 'Quae res bene vortat mi et tibi et ventri meo Perennitatemque adeo huic perpetuet cibi Ut mihi supersit suppetat superstitet', *Terentius* Phorm. 162: 'Tibi quia superest dolet', ibid. 69: 'Cui tanta erat res et super erat'. rei dativum posuit *Plautus,* cum hoc verbum significat 'superstitem esse', Asin. 16: 'sicut tuum vis unicum gnatum tuae Superesse vitae'.

Caput II.

11. **Abscedere** (Pl), quoniam contrarium est notioni 'contingendi', semel *Plautus* cum dativo *personae* coniunxit Trin. 745: 'huic ducendi interea apscesserit Lubido', plerumque ablativus positus est additis *a* vel *e* praepositionibus. *Naevius* autem praepositionem repetivit, cum de homine aliquo agitur qui a pueris h. e. pueritia abscessit com. fr. v. 26, quem versum cum Ribbeckio lego: 'Neque admodum a pueris abscessit neque admodum adulescentulust', *Plautus* praepositionem addidit ad locum significandum Mostell. 8: 'ab aedibus' cf. ibid. 465, ibid. 9: 'ab ianua' cf. ibid. 512, ibid. 857: 'a pedibus tuis', Mil. 200: 'aps te', Epid. II 2, 53: 'ab illis', Cas. III 5, 6: 'ab ista', Poen. I 2, 151: 'procul e conspectu' cf. Pers. 466. 727 Capt. 434 Men. 849: 'Ni iam *ex* meis oculis abscedat maxumam in malam crucem', ubi praepositio in libris omissa recte ab editoribus adiecta est. translato autem sensu usurpato huic verbo *Plautus* praepositionem adposuit Rud. 1190: 'dum apscedat haec a me aegrimonia?' itaque nescio an Epid. II 2, 100 qui versus in codicibus omissa praepositione sic legitur: PE. 'Rem hercle loquere. EP. et repperi, haec te qui abscedat suspicio' scribendum sit: PE. 'Rem hercle loquere. EP. et repperi, aps te haec qui apscedat suspicio'. eodemque modo *Terentius* praepositione usus est Hecyr. 781: 'cito ab eo haec ira abscedet'.

12. **Accedere** (Pl. Ter.) sequitur dativus aut eius qui animi adfectu conmovetur apud *Plautum* Amph. 709: 'Num tibi aut stultitia accessit aut superat superbia?'; eodemque modo dictum transfertur ad rem apud eundem poetam Merc. 25 sqq.: 'Sed amori accedunt etiam haec quae dixi minus: Insomnia, aerumna, error, terror et fuga, Ineptia atque stultitia adeo et temeritas, Incogitantia, excors inmodestia, Petulantia et cupiditas, malivolentia', aut eius qui in possessionem alicuius rei venit apud *Plautum* Men. 82: 'Namque homini misero si ad malum accedit malum', Epid. III 4, 39: 'Ei quae accessere, tibi addam dono gratiis', apud *Terentium* Andr. 215: 'ad haec mala hoc mi accedit etiam: haec Andria, Si ista

uxor sive amicast, gravida e Pamphilost', Hecyr. 506: 'quia paulum vobis accessit pecuniae. addita vero praepositione motus exprimitur 1) ad aliquam personam *Plaut.* Pers. 605: 'ad me' cf. ibid. 764 Rud. 242 Truc. II 2, 17 Men. 432: MN. Eho, Messenio, *ad me* accede huc. ME. Quid negotist?' 'ad me' enim in libris omissum recte adiecit Ritschelius — adiecto 'prope' adverbio Mil. 1270: 'prope ad te' cf. Men. 857, Capt. 478: 'ad adulescentes', Epid. II 2, 63: 'ad illas', Mil. 494: 'ad hominem,' Rud. 787: 'ad te', *Terent.* Heaut. 809: 'ad Bacchidem', ibid. 582: 'ad illos', Adelph. 970: 'ad me', Phorm. 864: 'ad eram', Andr. 123: 'ad pedisequas', Hecyr. 181: 'ad eam', *Afran.* v. 415: 'ad te', *Titin.* v. 106: 'ad sponsam', *Pompon.* v. 170: 'ad patrem.' 2) ad locum *Plaut.* Aul. III 2, 28: 'ad ianuam', Rud. 480: 'ad foris', Amph. 264: 'ad aedis', *Terent.* And. 130: 'ad flammam', Adelph. 632: 'ad fores', Eun. 85: 'ad ignem'. translato vero sensu adhibito huic verbo praepositio adicitur *Plaut.* Asin. 799: 'Nec mater lena ad vinum accedat interim' eo scil. consilio, ut illud bibat quod nos dicimus: es soll sich die alte mittlerweile nicht an den wein machen. Aul. II 8, 13: 'accessit animus ad meam sententiam', *Terent.* Phorm. prol. 29: 'Voluntas vestra si ad poetam acceserit'; quod exemplum si quis cum locis Terentianis ubi dativus legitur contulerit, hunc poetam utraque structura promiscue usum fuisse intelleget nisi forte in eo utramque structuram inter se differre putat, quod repetita praepositione propria huius verbi vis quae est localis magis ante oculos poni videtur quam dativo: hoc enim casu sequente 'accedere' fere idem est ac 'tribui.' de hoc igitur loco fere idem valet quod de usu praepositionis apud Livium dixit Kuehnastius (p. 134): im allgemeinen, inquit, lässt sich etwa sagen, dass von Liv. die praeposition da angewant wird, wo die räumlichkeitsbeziehung besonders hervortreten soll; aber sie erscheint am häufigsten in tropischer bedeutung, ohne dass letzterer der dativ versagt wäre, *der dann weniger der unmittelbarkeit des bildes zu dienen scheint.*' — non numquam sequitur praepositio, si huic verbo inest notio augendi, cuius usus exempla Plautina et Terentiana iam supra adtuli, quibus adiungo hunc *Tur-*

pilii locum (com. frag. p. 107 ed. R): 'Si etiam istuc ad malam aetatem accessit mali' et hunc *Attae* (com. frag. p. 162 ed. R) versum: 'ad hanc fortunam accessit fortuna ei paris' — *in* praepositionem posuit *Plautus* Trin. 119 sqq.: 'Ei rei operam dare te fuerat aliquanto aequius Si qui probiorem facere posses, non uti In eandem tute accederes infamiam.' nec vero accusativus ab hoc verbo alienus est. sequitur autem accusativus personae semel — id quod sane miror — apud *Plautum* Most. 689: 'igitur tum accedam hunc' h. e. adibo hunc. 'hunc' enim B exhibet, quod iure editores receperunt, in relicuis libris (cum A) extat 'huc'. cum accusativo rei ad locum significandum hoc verbo usi sunt *Ennius* annal. v. 527 ed. Vahl.: 'atque atque accedit muros Romana iuventus' et *Pacuvius* versu 218 ap. Festum p. 352 ed. Muell. servato: 'Accessi Aeaeam et tosilam pegi lecto in littore.' sic enim Buechelerus, quem Ribbeckius secutus est, corruptam codicis scripturam 'Acces . . . . eam sqq.' correxit. *Plautus* hac vi usurpatum hoc verbum non videtur cum accusativo coniunxisse: nam Truc. II 2, 34 teste Studemundo in A recte scriptum est: 'Quia ad foris nostras unguentis uncta's ausa accedere', relicui libri habent: 'Quia adeo foras (sic BC, in D est 'fores') sqq.', et Most. 446: 'Quis homost qui nostras aedis accessit prope' accusativus pendet a 'prope.' translato vero sensu usurpatum hoc verbum *Plautus* cum illo casu coniunxit Epid. I 2, 46: 'ego istuc accedam periclum potius atque audaciam' h. e. adibo vel suscipiam. — restat *Plaut.* Amph. 549/50 qui locus corrupte legitur in codicibus: 'Tanto brevior dies ut fiat faciam ut aeque disparet Et dies e nocte accedat. ibo et Mercurium subsequar.' displicet enim primum verbum 'disparet', quod neque pro 'dispar sit' poni neque omnino ferri potest, deinde constructio 'dies e nocte accedat.' itaque multi viri docti hos versus emendare studuerunt. ex omnibus autem coniecturis ea quam Fleckeisenus proposuit vel maxime mihi placet. is enim scripsit: 'Tanto brevior dies ut fiat faciam, dispar ut dies Aeque noctem accedat. ibo et Mercurium supsequar.' sane illud 'noctem accedat', quod vertendum est 'an die nacht herantrete', insolenter dictum est, sed ferri

potest, quod poeta noctem tamquam personae vice fungentem facit. sed cum accusativus personae semel tantum a Plauto positus sit, scribendum esse puto: 'Tanto brevior dies ut fiat faciam, dispar ut dies Aeque *ad* noctem accedat. ibo et Mercurium subsequar.' novissimus Amphitruonis editor, ut hoc propter novitatem rei commemorem, Richterum secutus scripsit: 'Tanto .... faciam, ut aeque dispar et | Dies e nocte accedat. ibo et Mercurium subsequar.' sed, ut de aliis taceam, hac coniectura recepta adparet illud 'et' pro 'etiam' habendum esse, quod apud Plautum inauditum esse ne tirones quidem ignorant. ad removendum autem hiatum C. F. W. Muellerus scripsit 'ibo *hac* et sqq.', quod hoc loco non est necessarium.

13. **Accidere** (Ter. Acc.) cum dativo iunctum reperitur apud Terentium et Accium. *Terent.* Phorm. 250: 'horum nihil quicquam accidet animo novom', ibid. 245: 'Communia esse haec, ne quid horum umquam accidat animo novom.' ita hic versus a Cicerone (Tuscul. III 14) adfertur, quam lectionem Bentleium, qui eam optime ab illa quae extat in A defendit, secuti iure receperunt Fleckeisenus et Umpfenbachius. in A autem scriptum est: 'communia esse
fieri
haec posse ut ne quit animo sit novom', quocum relicui codices et Donatus conspirant. Hecyr. 362: 'Unde exordiar narrare quae necopinanti accidunt', *Acc.* praetext. 30 (Ribb. trag. frag. p. 284): 'ea si cui in somno accidunt.' *Plautus* dativum ignorat, sed accusativum posuit nullo sententiae discrimine [1]) inter utramque structuram intercedente Stich. 88: 'Certo enim mihi paternae vocis sonitus auris accidit.' repetita vero praepositione locus indicatur *Plaut.* Poen. II 1, 38: 'tam crebri ad terram accidebant quam pira', Rud. prol. 8: 'signa de coelo ad terram accidunt', *Enn.* (Ribb. com. fr. p. 5): 'lacrimansque ad genua accidit', trag. fr. v. 205 (Ribb. trag. fr. p. 43): 'Utinam ne in nemore Pelio securibus Caesa accedisset [2]) abiegna ad terram trabes', *Terent.* Hecyr. 378: 'ad genua accidit', *Acc.* v. 449: 'ac nota vox ad auris accidit.'

---

[1]) cf. p. 5.

[2]) de hac forma cf. Ribb. l. c.

tralata autem verbi vi 'ad' posuit *Paccuvius* v. 34 (Ribb. trag. fr. p. 81): 'Nilne ad te de iudicio armum accidit?' 'in' adhibuit *Terentius* Andr. 885: 'Eodem die istuc verbum vere in te accidit.'

14. **Accubare** (Pl.) bis cum dativo personae iungitur apud *Plautum* Mil. 212: 'Quoi (Naevio) bini custodes .... accubant.' 'accubant' enim utique scribendum est, non cum Ritschelio et aliis 'occubant', quod est in codicibus: nam Plautus 'occubandi' verbum omnino ignorat. Bacch. 72: 'Ubi mi pro equo lectus detur, scortum pro scuto adcubet?' idem poeta post hoc verbum accusativum personae posuit sensu obscoeno Men. 475: 'scortum accubui.' utraque igitur structura in cotidiano sermone promiscue videtur adhibita esse. *in* praepositio tribus exemplis legitur apud *Plautum* Bacch. 454: 'illest qui in lupanari accubat', ibid. 755: 'in biclinio', ibid. 938: 'non in busto Achilli, sed in lecto adcubat.' 'Achilli' enim genetivus est cf. Brix. ad Capt. 525. *Terentius* hoc verbo semel absolute usus est Eun. 728.

15. **Accumbere** 'accubandi' verbo adicio propterea, quod huius verbi quasi incohativum est: nam 'accumbo' significat eum motum, ex quo quietis status, qui 'accubandi' verbo exprimitur, oritur. nusquam sane hoc verbum cum dativo apud veteres poetas coniunctum reperitur, sed semel cum accusativo sensu obscoeno apud *Plautum* Bacch. 1189: 'scortum accumbas', itaque Stich. 700: 'Uter amicam utrubi accumbamus', cum Ritschelio, quem Fleckeisenus secutus est, 'amicam' scribendum est pro codicum scriptura 'amica', non 'amicae', ut veteribus interpretibus visum erat. *Accius* accusativum rei posuit v. 218: 'Ne cum tyranno quisquam epulandi gratia Accumbat mensam'. *in* praepositionem usurpat *Plautus* sensu locali Stich. 488: 'in lecto', Most. 44: 'in via'.

16. **Adhaerere** (Pl.) semel cum dativo iunctum reperitur apud *Plautum* Stich. 236: 'Adhaesit homini ad infumum ventrem fames', itaque dativus mente addendus est Asin. 211. 'Adhaerescere' autem semel cum repetita praepositione legitur apud *Plautum* Poen. II 1, 33: 'ne ad fundas viscus adhaeresceret'.

17. **Adpetere** (Pl.) = adpropinquare semel apud *Plautum*

cum dativo coniunctum legitur Aul. I 1, 36: 'propinqua partitudo quoi (scil. filiae) adpetit'.

18. **Adstare** (Naev. Pl.). huic verbo dativum quem proprie dicimus commodi adiecerunt *Naevius* com. fr. v. 5: 'Tibi servi multi aput mensam adstant' et *Plautus* Cas. III 3, 5: 'Dum asto advocatus quoidam cognato meo'. deinde dativum posuit *Plautus*, cum propria vis inest in verbo, Capt. 664: 'ut confidenter mihi contra astitit', eodemque sensu adhibitum hoc verbum cum accusativo coniungitur *Plaut.* Pers. 13: 'TO. Quis illic est, qui contra me astat? SA. Hic quis est, qui contra me astat?', Pers. 208: 'SO. Quid agis? PA. Feminam scelestam te astans contra contuor'. quibus locis cave, ne accusativum pendere a 'contra' putes: nam 'contra' apud Plautum semper adverbium esse demonstravit Fleckeisenus (exercit. Plautin. Gotting. 1843 p. 33) — addita autem praepositione semper locus indicatur 1) ad *Plaut.* Most. 768: 'ad ostium'. 2) ante *Plaut.* Truc. I 2, 73 et Bacch. 768: 'ante ostium', Bacch. 978: 'ante portam', Men. 631: 'ante aedis' cf. ibid. 676, Merc. 821. 3) apud *Naev.* (cf. supra): 'aput mensam', *Acc.* v. 343: 'aput ipsum', *Att.* v. 10 (Ribb. com. fr. p. 161): 'Nempe adstat sinus apud mensam, ubi sermo solet Suboriri seditiosus'. sic hunc versum supplevit Ribbeckius ex scholiis Veron. in Vergil. ecl. 7, 32, sed utrum illud 'sinus apud mensam' recte eruerit necne, quaeritur, cum, ut ait ipse Ribb., nec Hermannus nec Keilius illud legere potuerint. 4) in *Plaut.* Bacch. 815: 'in eopse lapide', Trin. 85: 'in columine'. huic verbo mihi liceat adiungere

19. **Adsistere,** quod similiter atque adstare cum accusativo coniungitur apud *Plautum* Pseud. 155: 'Adsistite omnes contra me'. *in* praepositio usurpatur apud eundem Men. 865: 'iam adstiti in currum', *propter* legitur apud *Terentium* Adelph. 169: 'hic propter hunc adsiste'.

20. **Antecedere** (Pl. Ter. Titin.) propria vi usurpatum cum dativo coniunxit *Terentius* Phorm. 525: 'Verum haec (dies) ei (diei) antecessit. inest in verbo comparationis cuiusdam notio apud *Plautum* Pseud. 532: 'Virtute *tu* regi Agathocli antecesseris' et *Titinium* v. 11: ubi *iam* ambitionem

virtuti videas antecedere'. 'virtuti' enim iam Iunius recte scripsit pro codicum scriptura 'virtutis'.

21. **Anteire** (Pl.) dativus sequitur apud *Plautum* et personae Pers. 779: 'Solus ego omnibus antideo facile' h. e. omnes supero et rei Amph. 649: 'Virtus omnibus rebus anteit profecto'. frequentius accusativus usurpatur. legitur autem accusativus personae *Plaut.* Cist. II 1, 3: 'qui omnis homines supero atque antideo cruciabilitatibus animi', Bacch. 1089: 'solus ego omnis longe antideo stultitia', ibid. 7: 'Verum hic Ulixem multo adulescens antidit'. sed e tribus his exemplis nondum effici mihi videtur, ut etiam Pers. 779 (cf. supra) accusativus scribendus sit, ut visum erat Ritschelio. *Terent.* Phorm. 247: 'O Phaedria, incredibilest, quantum erum ante eo sapientia'. *Trab.* v. 5 (Ribb. com. fr. p. 31): 'Fortunam ipsam anteibo fortunis meis'. accusativus rei legitur *Plaut.* Trin. 545: 'Sed Campans genus Multo Syrorum iam antidit patientiam'. sic enim recte scripsit Ritschelius[1]) parerg. p. 340. libri (cum A) habent 'patientia' nisi quod BC 'patlentia'.

22. **Antistare** (Enn.) = antecedere cum dativo coniungitur apud *Ennium* trag. fr. v. 197: 'plebes in hoc regi antistat loco'.

23. **Antevenire** (Pl.) semper apud *Plautum* cum dativo coniungitur et propria vi adhibitum, ut significet 'prius quam alium venire' et translata, ut sit idem ac 'meliorem esse'. legitur autem Trin. 911: 'temperi huic hodie anteveni', Pseud. 417: 'Nemo anteveniat filio credo meo'; sic enim e codicis A reliquiis eruit Ritschelius, relicui libri habent 'antecedat'. Cas. II 3, 1: 'Omnibus rebus ego amorem credo et nitoribus nitidis antevenire'. restat *Terent.* Eun. 733: 'CH. Set Thais multo ante venit? PY. An abiit iam a milite?' sic enim exhibent libri et Donatus, quod novissimi editores receperunt nisi quod Hario duce scribunt 'mult*on*'. Bentleius scripsit 'Sed ... multo me antevenit sqq.', sed non est, cur omisso 'me' verba intellegi non possint.

---

[1]) cf. Holtz. annal. phil. t. 87, a. 1863 p. 628.

24. **Contingere** (Pl. Enn. Ter.) semel impersonaliter adhibuit *Plautus* Amph. 1061: 'ita erae meae hodie contigit'. subiectum addidit Asin. 720 Cistell. II 1, 20 Poen. V 4, 99 Rud. 1176; quod fit etiam et apud *Ennium* trag. frag. v. 308: 'mihi ... contigerit malum' et apud *Terentium* Hecyr. 833 et Eun. 1033: 'Cui tam subito tot contigerunt commoda'. sic enim in codicibus praeter A scriptum est. in A legitur 'congruerint', quod receperunt Fleckeisenus et Umpfenbachius. Donatus autem legit 'contigerint', quod mihi cum Bentleio probatur.

25. **Convenire** (Pl. Ter. Afr.) cum dativo iunctum reperitur, quia significat aut 'aptum esse' aut 'pluribus idem placere'. prior significatio extat *Plaut.* Bacch. 129: 'non omnis aetas, Lude, ludo convenit', Stich. 298: 'Sed hoc videtur mihi magis meo convenire huic nuntio', Bacch. 185: 'Hospitium et cenam pollicere, ut convenit peregre advenienti'. similis vero significatio videtur extare Mil. 894 et 95 (ed. R.) qui locus in B sic legitur: 'PE. Mala mulier est. AC. ne pavet peioribus conveniunt', in C: 'PE. Mala milla mer est ne pavet peioribus convenivit', in D: 'PE. Mala nulla meresta ne pavet peiorib conveniunt'. nexus autem sententiarum hic est: Periplecomenus iamdudum puellis Acroteleutio et Milphidippae mandaverat, ut militem deciperent easque, qua ratione optime illud perficerent, edocuerat. sed cum de puellarum et fide et facultate dubitaret, denuo illis praecepta dare studuit metuens, ne priorum mandatorum obliviscerentur. quem metum prorsus inanem esse pluribus verbis Acroteleutium ei exponit: hanc enim mulierum naturam esse, ut, male si quid iis faciendum sit, immortalem (888) memoriam habeant, si quid bene, meminisse nequeant umquam (890). ad quod Periplecomenus: 'istuc ipsum metuo, quod vobis faciundum est utrumque: nam id proderit mihi, militi male quod facietis ambae'. sed eum metum iterum inanem esse demonstrat Acroteleutium his verbis: 'Dum nescientes quid bonum faciamus, ne formida'. Periplecomenus tamen pergit illas denuo admonere. itaque in iis, quae versum 893 sequuntur hanc fere sententiam desideramus: malae mulieres sunt, sed num ad militem decipiendum satis valeant, vehe-

menter dubito. ad quod illa: ne pave, Periplecomene, peioribus (scil. facinoribus) quam illud est mulieres conveniunt. quo responso tandem, ut videtur, contentus ille exlamat: ita vos decet. Consequimini. hanc igitur verborum sententiam esse e codicum vestigiis adparet, sed eam uno versu comprehendi posse nego. itaque totum locum inde a versu 893 usque ad 896 lacunae signis cum Ritschelio Fleckeiseno Brixio positis sic scribo: 'AC. Dum nescientes quid bonum faciamus, ne formida. PE. Mala mulier mers[1]) est .... AC. ne pave: peioribus conveniunt. PE. Ita vos decet. Consequimini. sqq.', nisi quod malo: 'AC. ne pave: peioribus convenimus'. nam sic, quo verba 'ita vos decet' referenda sint, statim intellegitur. verto igitur: das weib zwar ist eine schlechte waare, (aber ob ihr mir den prahlhans überlisten könnt, möcht' beim Pollux! schier ich jetzt bezweifeln), AC. Hab' keine angst: zu schlechtern (misslichern) dingen noch sind wir geeignet. PF. so geziemt es euch, folgt mir nun. Lorenzius lacunae signis non positis hoc temptavit: 'PE. Mala mers es mulier. AC. ne pave: peiores convenibis'. in qua lectione sane verba 'Mala mers es mulier' a Periplecomeno dicta aptissime iis quae antecedunt adiunguntur. sed illud offendit quod, quo verba 'ita vos decet' referantur, non satis liquet. — *Terent.* Andr. 366: 'Num videntur convenire haec nuptiis?', Phorm. 726: 'Mulier mulieri magis convenit', 'convenit' enim scriptum est in A, quod receperunt Fleckeisenus et Umpfenbachius, in relicuis libris est 'congruet'. *Afran.* v. 26: 'conveniret quod mihi'. altera significatio 'pluribus idem placere' extat apud *Plautum* Poen. V 6, 3: 'omnibus amicis idem convenit', Pseud. 1111: 'cum his nec locus Mihi nec sermo convenit', Trin. 623: 'Nescio quid non satis inter eos convenit', Most. 304: 'Bene igitur ratio accepti atque expensi inter nos convenit', Pseud. 1000: 'quae (imago) inter nos duo convenit olim', ibid. 1093: 'qui (sumbolus) inter me et illum convenerat' cf. Men. 1110 Truc. IV 3, 20 Aul. II 2, 80. Capt. 395: 'quo pacto mihi *nunc* cum hoc convenerit De huius filio', Curc. 435: 'iam

---

[1]) 'mers' in A legisse Studemundum testatur Lorenzius.

scis ut convenerit (scil. inter nos), Capt. 378: 'Nunc ita convenit inter me atque hunc, Tyndare' cf. ibid. 381 Stich. 686 Cas. II 3, 56 Amph. 225. 853 Pseud. 1060. ex his igitur exemplis cognoscimus apud Plautum duas huius verbi constructiones extare aut 'res mihi convenit cum aliquo' vel 'res convenit inter duos homines' aut 'mihi cum aliquo convenit' vel 'convenit inter duos homines', sed numquam 'ego cum aliquo convenio'. itaque Trin. 569 de codicum scriptura: 'De dote mecum convenire nil potes' recte dubitavit iam Acidalius qui coniecit: 'De dote mecum conveniri nil potest'. magis sine dubio Plautino sermoni convenienter adsentiente Ritschelio scripsit Fleckeisenus: 'De dote mecum conveniri nil potis'. sed passivum 'conveniri', quippe quod hac verbi significatione nusquam alibi apud Plautum legeretur, iamdudum improbavit Spengelius (T. M. Plaut. I p. 40), qui scripsit: 'De dote mecum convenire nil potest': id quod mihi probatur. nec vero nunc difficile est iudicium de Pseudoli versu 544, qui sic in codicibus legitur: 'Si sumus compecti seu consilium unquam iniimus (543) De istac re aut si de ea re umquam inter nos convenimus' (544), nisi quod 'conveniamus' in BCD invenitur. Ritschelius (prolegg. p. CXXXI) consentiente Lorenzio (adn. crit. p. 268) et Fleckeiseno versum damnavit, cum "manifestum esset eum e meris interpretamentis consutum esse: nam et numeros refragari et linguam et sententiam et vero versuum computationem deperditis membranis comprehensorum Ambrosianis". adparet autem hoc versu omisso nihil desiderari, sed nescio an ille cum Spengelio (l. c.) et Kiesslingio (symb. philol. Bonnens. p. 837) sic restituendus sit: 'De istac re aut si de ea re umquam inter nos convenit': nam hac coniectura recepta et iambici numeri restituuntur et sententia aptissima est. illud enim ipsum Pseudolo hic confirmandum est se non solum usque ad illud tempus consilii quicquam cum lenone inisse, sed etiam numquam consilium cum eo sese initurum esse, quippe qui nihil habeat antiquius quam ut Simoni de probitate sua persuadeat. 'unquam convenit' autem pro futuro 'conveniet' non inauditum esse exemplis probavit Spengelius. — Terentiana huius usus exempla sunt Adelph. 59: 'haec fratri

mecum non conveniunt', Hec. 659: 'Nec conventurum inter nos posthac esse arbitror' cf. Heaut. 863. — deinde post hoc verbum *in* praepositio posita est, cum significat 'aptum esse', apud *Plautum* Pseud. 1181: 'Conveniebatne in vaginam tuam machaera militis?', similiterque apud *Terentium* legitur Heaut. 876: 'in me quidvis harum rerum convenit' h. e. cadit. denique *inter* praepositio sequitur apud eundem Hec. 177: 'Primos dies complusculos Bene conveniebat sane inter eas' h. e. concorditer vivebant. quo sensu *Afranius* 'cum' adhibuit v. 52: 'bene convenientes (scil. puellae) *bene* concordes cum viris'. — iam vero accusativus hoc verbum sequitur, sed num casus *rei* positus sit, dubium est. semel enim in libris hic casus legitur *Plaut.* Mercat. 984: 'Itidem ut tempus anni, aetatem aliam aliud factum convenit', quo loco si lectio genuina esset, 'convenit' idem valeret ac 'condecet', quod duce Lachmanno (in Lucr. p. 64) recepit Ritschelius. sed cum Plautus hoc verbum hac significatione adhibitum cum dativo coniungat, non video, cur non scribatur: '.... aetati ali*ae*[1]) aliud factum convenit'. innumerabilia vero fere exempla sunt, in quibus accusativus personae legitur; illud 'convenire aliquem' autem significat aut 'consilio aliquem adire vel visere' aut 'casu alicui obviam venire', quod nos dicimus 'einen treffen'. ex copia autem exemplorum paene immensa haec adfero: *Plaut.* Cist. IV 2, 38: 'qui volunt te conventum' cf. Poen. V 2, 159 Cas. II 8, 67 Trin. 475 Curc. 302. 304. 322. 468 Stich. 127. Trin. 1122: 'Nunc mi is propere conveniundust' cf. Capt. 748 Merc. 850. Pers. 182: 'Conveniam hunc Toxillum' cf. ibid. 301. 856. Aul. II 1, 54: 'Euclionem', Cas. III 2, 18: 'istam', Cist. II 3, 42: 'mulierem', Epid. I 1, 67: 'patrem', ibid. I 1, 34: 'hominem', ibid. II 2, 12: 'Periphanem', Merc. II 2, 16: 'hunc vicinum', Trin. 581: 'med' cf. ibid. 1120, Capt. 342: 'patrem', ibid. 515: 'hominem', ibid. 919: 'senem', Curc. 470: 'periurum ... hominem', Asin. 274: 'Libanium', Amph. 767: 'hanc', Truc. I 1, 38: 'eum', ibid. II 2, 28: 'mulieres ... vostras', ibid. II, 2, 66: 'Phronesium', Most. 547: 'illum', ibid. 171: 'te' cf. Mil. 276

[1]) cf. Ritsch. adnot. ad h. l.

ibid. 930: 'illum', ibid. 1105: 'eam', ibid. 1219: 'ipsum', ibid. 1379: 'illunc', Bacch. 175: 'Nicobulum ... senem', ibid. 348: 'illum', ibid. 530: 'illam', ibid. 921: 'filium', Stich. 342: 'ecquem', ibid. 408: 'Antiphonem', Pseud. 1059: 'hominem', cf. ibid. 1079, Men. 401: 'te' cf. ibid. 1050, ibid. 557: 'servom', ibid. 399: 'inde huc sum egressus et te conveni', *Terent.* Eun. 234: 'quendam mei loci', ibid. 1005: 'Parmenonem', Phorm. 719: 'hunc', ibid. 828: 'Getam', ibid. 896: 'nunc conveniundust Phormio', Hec. 191: 'Patrem', ibid. 195: 'illum' cf. 437, ibid. 725: 'istam', ibid. 727: 'Laches me nunc conventam expetit', Adelph. 154: 'hominem', ibid. 209: 'ipsum', ibid. 499: 'fratrem', ibid. 512: 'Nicionem', ibid. 637: 'Aeschinum', ibid. 757: 'hos', Andr. 526: 'Chremem', ibid. 225: 'Pamphilum', ibid. 368: 'etiam puerum inde abiens conveni Chremi: Holera et pisciculos minutos ferre obolo in cenam seni', qui locus negotium fecit Bentleio, cum putaret infinitivum 'ferre' pendere a 'conveni', quod inauditum est. itaque 'conspexi' scripsit conlato Hec. 352. sed 'ferre' infinitivus historicus est, qui saepius apud Terentium inter duo verba finita interponitur cf. Andr. 62/66.

26. **Decidere** (Pl.), quoniam notioni 'contingendi' contrarium est, dativum regit apud *Plautum* Bacch. 1135: 'omnis fructus iam illis decidit'; illud autem genus dativi, quo rem pertinere ad aliquem indicatur[1]), extat Poen. III 2, 67: 'quin etiam deciderunt vobis femina in talos velim'. deinde praepositio iteratur apud *Plautum* ad locum significandum Cas. V 2, 42: 'Decido de lecto'; translato vero sensu usurpatum hoc verbum praepositio sequitur apud eundem Pers. 258: 'ea (scil. occasio) nunc quasi decidit de coelo' et apud *Terentium* Heaut. 250: 'quanta de spe decidi'; praepositio omissa est in libris Heaut. 846: 'quanta spe decidi'. sed totum versum, qui in A omnino omissus est, in relicuis libris suppositum esse iam dudum editores intellexerunt.

27. **Defieri** (Pl.? Enn. Ter. Acc.) = deesse cum dativo: *Plaut.* Men. 220: 'tribus vide quod sit satis: neque defiat neque supersit' (scil. iis); itaque dativus restituendi versus causa addendus est Mil. 1261: 'ita animus per oculos meus

---

[1]) cf. p. 15 adnot. 1.

mihi defit', *Enn.* trag. fr. v. 369: '.... pol mihi fortuna magis nunc defit quam genus', *Terent.* Hec. 768: 'Nihil apud me tibi Defieri patiar', Phorm. 162: 'Aliis quia defit, quod amant, aegrest' (h. e. quia ipsis defit).

28. **Elabi** (Ter.) semel cum dativo iungitur apud *Terentium* Hec. 168: 'Hic animus..... elapsust Bacchidi'; in A enim dativus, in relicuis codicibus ablativus sine praepositione extat.

29. **Evenire** (Pl. Ter. Pomp.) personaliter (aliquid alicui evenit) usurpatum invenitur *Plaut.* Men. 1151. 67 Stich. 92. 209 Pseud. 574 Bacch. 628. 102 Mil. 1211. 1010. 669. 380 Most. 58 Asin. 723 Curc. 271. 125 Capt. 91. 246. 415. 946 Rud. 398. 400. 636. 912. 1178. 1186. 1365 Trin. 40. 361. 715 Merc. 338. 417. 651. 774. 999 Pers. 244 Aul. II 5, 22. I 1, 30 Cas. II 6, 30, 38. III 4, 27 Cist. I 2, 18 Epid. III 1, 1 Poen. V 4, 98. *Terent.* Eun. 999. 1002 Heaut. 157. 355. 685 Phorm. 705. 845 Hec. 58. 279. 415. 794. 838. 839. 872 Andr. prol. 4. 968 Adelph. 858 *Pomp.* v. 146. — impersonaliter legitur *Plaut.* Bacch. 1068 Pers. 535 Epid. II 2, 59. *Terent.* Phorm. 65 Hec. 838.

30. **Excidere** (Pl.) cum personae dativo iungitur, quia verbo 'contingendi' contrarium est, apud *Plautum* Poen. I 2, 48: 'lingua huic excidit', Most. 732: 'Nunc nobis *simitu* omnia haec exciderunt', Bacch. 668: 'Numqui tibi nummi exciderunt', Cist. IV 2, 7: 'loca haec circiter excidit mihi' (scil. cistella), ibid. IV 2, 27: 'cui haec excidit cistella' cf. ibid. IV 2, 45. semel ab eodem poeta praepositio iteratur Men. 667: 'Nam ex hac familia me plane excidisse intellego'. *Terentius* hoc verbum semel cum ablativo sine praepositione coniunxit Andr. 423: 'erus, quantum audio, uxore excidit', quod fere est 'uxore privatus est'; verte: der herr .... gieng der gemahlin verlustig.

31. **Evolare** (Pl.) semel *Plautus* cum dativo coniunxit Cist. IV 2, 65: 'hic mihi, adulescens, evolavit' (scil. cistella).

32. **Expetere** (Pl.) intransitive usurpatum = mihi aliquid contingit *Plautus* cum dativo iunxit atque id quidem uno Militis loco excepto in sola Amphitruone. Amph. 872: 'Si id innocenti *inmerito damnosum* expetat'. sic enim Fleckei-

senus hunc versum transformavit nec male id quidem! novissimus Amphitruonis editor cum libris scripsit: 'Si id Alcumenae innocenti expetat'. sed duplex hiatus nemini sano iudicio praedito probari potest. itaque confidenter cum Lachmanno (in Lucr. p. 161) restitue: Si id Alcumenas innocentiae expetat', quod Ritschelio quoque placet (opusc. III p. 133) cf. de genetivo in *as* exeunti Ritsch. opusc. III p. 115. — ibid. 895: 'Nunc autem insonti mihi Illius ira in hanc et maledicta expetent', Mil. 393: 'Satin eadem in vigilanti expetunt, quae in somnis visa memoras?'. sic enim Ritschelius quem Fleckeisenus et Lorenzius secuti sunt hunc locum scripsit, cum in A legisse sibi videretur '*in* vigilanti'. qua lectione recepta cum Lorenzio vertendum est: widerfahren denn wirklich dieselben begebenheiten ..... dir auch im wachenden zustande? Geppertus (stud. I 1, p. 14) autem quem Brixius secutus est in A dativum scriptum esse dicit, qui in relicuis quoque codicibus extat. utraque sane lectio ferri potest. deinde *in* praepositio cum accusativo iuncta reperitur Amph. 495: 'Nam deum | non par videtur facere, delictum suum | suamque ut culpam expetere in mortalem sinat', ibid. 589: 'Quoius ego hodie in tergum faxo ista expetant mendacia'. quibus exemplis 'expetere in aliquem' vertendum | est: auf jemanden fallen, ihn treffen, ihm widerfahren. inter hanc autem structuram et dativum simile quoddam interesse mihi videtur atque inter genetivum obiectivum et praepositionem *in* cum accusativo coniunctam, qua genetivus accuratius describitur.

33. **Incedere** (Pl.?) hoc uno loco apud *Plautum* cum dativo legitur Rud. 693: 'Praesidio Veneris malitiae lenonis contra incedam'. sed hic dativus non tam ab 'incedam' quam ab 'contra incedam' = 'resistam' pendet. addita autem praepositione locus indicatur *Plaut.* Amph. 335: 'incedit ad me', Trin. 1151: 'qui huc ad nos incedit' cf. Pers. 200 Most. 986, ubi 'ad nos' ut adiciatur, metrum postulat, et *Caecil.* v. 76: 'filius in me incedit'. praeterea apud Naevium Plautum Caecilium Terentium Afranium Novium hoc verbum absolute tantum usurpatur. sed restat unus *Terentii* versus, Andr. 730 qui sic legitur in codicibus: 'Nova

nunc religio in te istaec incessit. Cedo', nisi quod in G deest praepositio. dicitur autem hoc loco de animi adfectibus, quibus quis movetur. itaque praepositio valde displicet, cum semper huic verbo hac significatione adhibito aut dativus aut accusativus adpositus sit. qui casus cum nusquam apud priscos poetas huic verbo adicerentur, recte editores Umpfenbachio excepto hunc locum corruptum esse iudicaverunt. Bentleius igitur praeeunte iam Erasmo scripsit: 'Nova nunc religio te istaec incessit cedo?'. illud 'incessit' praesens esse verbi 'incessendi' existimans. quae coniectura, cum praesens tempus nexui sententiarum valde conveniat, ex omnibus coniecturis quae propositae sunt vel maxime mihi arrideret, si aliis quoque locis „incesso" a poeta usurpatum esset. sed frustra illud quaesiveris. qua re Guyetum Fleckeisenum alios secutus hanc lectionem amplector:

'Nova nunc religio unde istaec incessit? Cedo'.

34. **Incidere** (Pl. Ter.) *Plaut.* Men. 874: 'ei .. morbus incidit', *Terent.* Heaut. 395: 'Ut numquam ulla amori vostro incidere possit calamitas', Andr. 358: 'Redeunti interea ex ipsa re mi incidit suspitio, ibid. 501: 'nam qui tibi istaec incidit suspitio?'. ad verbi structuram proprie non pertinet is dativus qui extat Phorm. 157: 'Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset!' iterata vero praepositione aut de locis aut de malis agitur in quae quis incidit *Plaut.* Trin. 658: 'in fraudem', *Terent.* Phorm. 175: 'in eum ... locum', Heaut. 442: 'in eandem fraudem', Andr. 782: 'in malum'. deinde *in* praepositio legitur Mil. glor. arg. II v. 4: 'in eandem (scil. puellam) incidi' h. e., ut ex sententiarum nexu adparet, puellae amore inflammari coepi.

35. **Incubare** (Pl.) semel cum dativo personae legitur apud *Plautum* Curc. 266: 'namque incubare satius te fuerat Iovi'. *in* praepositio sequitur apud eundem Curc. 62: aegrotus incubat in Aesculapi fano', Cas. I 1, 22: 'Rure incubabo usque in praefectura mea'. incohativo autem huius verbi accusativus adicitur *Plaut.* Cas. II 4, 29: 'eumque (gladium) incumbam'.

36. **Inhaerere** (Pl.) semel mihi occurrit *Plaut.* Merc

prol. 29: 'Inhaeret etiam aviditas, residia, iniuria, Inopia, contumelia et dispendium, multiloquium, pauciloquium', ubi ex antecedentibus addendum est 'amori'.

37. **Innasci** (Pl. Ter.) *Plaut.* Pers. 314: 'Quando istaec innatast tibi' (scil. vomica), Mil. 1063: 'Non mihi avaritia umquam innatast, *Terent.* Andr. 626: 'Tanta vecordia innata cuiquam ut siet', Hec. 543: 'Nam id omnibus innatumst'. 'omnibus' enim est in codicibus, sed illud delendum esse Bentleius quem novissimi editores secuti sunt perspexit. — semel apud *Plautum* praepositio posita est nullo discrimine inter hanc structuram et dativum intercedente Poen. I 2, 87: 'Invidia in me numquam innatast neque malitia'.

38. **Impendere** (Pl.) semel cum dativo iunctum reperitur *Plaut.* Ep. I 2, 32: 'nunc iam alia cura impendet pectori'; *in* praepositio semel repetita est apud eundem Ep. I 1, 77: 'Tantae in te inpendent ruinae'. semel hoc verbum transitive dictum est *Terent.* Phorm. 180: 'ita nunc inparatum subito tanta te impendent mala'. 'te impendent' enim exhibent libri cum Donato neque causam video, cur haec constructio Bentleio improbetur: nam transitivum huius verbi usum non inauditum esse satis comprobatur Lucretii libri I versu 326: 'mare quae impendent' et Lucilii versu 98 ed. M.: 'ut, quae res me impendeat, agatur'. subtile autem sententiae discrimen inter tres huius verbi structuras cognosci non potest.

39. **Inrepere** (Pomp.?), de quo hoc loco mihi agere liceat, semel loco invenitur desperatissimo apud *Pomponium Bononiensem* a Nonio 500, 23 servato (Ribb. com. fr. p. 246): 'Quot laetitias insperatas modo mi inrepsere in sinum'. 'inrepo', enim hic transitive dictum esse Pottius et Buechelerus [1]) contenderunt. ex iis igitur quae interciderunt subiectum quoddam veluti 'homines' addendum est. enimvero poetam 'quot laetitiae insperatae ... me inrepsere' dicere potuisse manifestum est, quoniam Plautus ter dicit: 'aliquid me obrepit' (cf. infra). sed nullo modo fieri potest, ut 'inrepo' causativam verbi substantivi vim accipiat, ut sit: 'facio, ut aliquid alicui sit'. itaque alii alia coniecerunt, e quibus quod

---

[1]) cf. Ribb. adnot. crit. ad h. l.

Ritschelius, Bergkius, Huschkius proposuerunt vel maxime placet. ii enim 'laetitias' pluralis numeri nominativum esse putarunt; quae forma Oscis in usu fuit. sed ne ea quidem sententia probata hoc exemplum ad nostrum propositum pertinet, quippe cum dativo nihil aliud indicetur nisi rem ad aliquem pertinere. hac vero occasione oblata huic verbo alium locum adpono, *Plaut.* Mil. 333: 'Hic obsistam, ne imprudenti huc ea se subrepsit mihi'. fuerunt enim viri docti ut Buechelerus (de declin. lat. p. 17), qui 'se subrepsit' a verbo 'subrependi' deducerent, quod transitive vel potius reflexive hoc loco dictum esse arbitrabantur. alii, cum hanc sententiam ineptam esse intellegerent, 'subrepsit' (ex analogia perfecti 'rapsi' [1]) cf. Cic. de legg. II § 22) futuri exacti coniunctivum verbi 'subripiendi' vel potius 'subrupiendi', ut Plauti sermone utar, esse existimarunt. sane 'subrupiendi' verbum hac ipsa significatione, quae hic desideratur, legitur Plaut. Men. III 2, 39, sed de forma 'subrepsi' dubito: immo, quoniam perfectum ex vulgari ratione formatum non 'subrepui', sed 'subrupui' est, non video, cur non scribamus 'subrupsit' aut fortasse 'surempsit' e Festi glossemate p. 298 M surempsit = 'sustulerit'.

40. **Instare** (Pl.) semel cum dativo personae iunctum reperitur apud *Plautum* Pers. 492: 'Ita me dei ament, ut ob istanc rem tibi multa bona instant a me', eademque verbi significatione apud eundem accusativus personae ponitur Poen. IV 2, 96: 'Tantum eum instat exiti', Pers. 514: 'Nescis, quid te instet boni'. deinde idem valet quod 'vexare' vel 'urgere' Curc. 376: 'si magis me instabunt' (scil. creditores). cum accusativo rei iunctum hoc verbum redit ad significationem 'omnibus viribus aliquid agere' apud *Terentium* Heaut. 895: 'magis unum etiam instare, ut . . . ', et *Novium* v. 61: 'instat mercaturam'. apud *Plautum* accusativus rei semel tantum invenitur in formula 'viam instare' Asin. 54: 'Rectam instas viam', pro quo saepius idem poeta et semper *Terentius* dicunt : 'insistere viam iter similia'.

---

[1]) cf. Corssen., ausspr. II 553, II 132.

praepositio semel ad locum significandum adhibetur *Pacuv.* v. 367: 'saxoque instare in globoso'.

41. **Insultare** semel transitive dicitur *Terent.* Eun. 285: 'ne tu istas (scil. fores) faxo calcibus saepe insultabis frustra'.

42. **Invadere** (Acc.) semel cum dativo iunctum reperitur apud *Accium* v. 455: 'Quae vastitudo haec aut unde invasit mihi', ubi significat 'contingere'. apud *Plautum* non extat nisi id genus dativi, quo rem pertinere ad aliquem indicatur,[1]) Ep. V. 2, 5: 'ita dum te sequor Lassitudine invaserunt misero in genua flemina'. bis autem idem poeta accusativum posuit Trin. 27: 'nam hic nimium morbus mores invasit bonos', Asin. 55: 'set eum morbus invasit gravis'. *Pacuvium* hoc verbum transitive adhibuisse testis est Servius in Aen. IV, 473, qui ex illo hoc adfert: 'invadebatur a Furiis'. praepositione autem repetita locus indicatur *Plaut.* Asin. 908: 'in oculos *cuculo* invadist optumum', Bacch. 711: 'invadam extemplo in oppidum anticum et vetus'[2]), *Caec.* v. 217: '. . . . tantan hinc invasit in corollam dulcitas?'[3]) *Terentius* semel hoc verbum absolute adhibuit Hec. 356.

43. **Involare** (Afr.?) idcirco commemorandum esse mihi videtur, quod nunc uno *Afranii* loco ab Isidoro orig. XII 8, 16 servato Ribbeckius[4]) dativum ei adiecit sic scribens: 'ex ore mi oculis tui bibones involant.' illud 'oculis involant' confert Ribbeckius[5]) cum Lucilii fragmento apud Nonium p. 33, 1 s. v. involare servato, quod ipse scripsit: '. . . . inde canino ori ritu olli oculisque involem.' sed hic Lucilii versus ipse non tam certus sanusque est, ut argumento esse possit. deinde nemo ex iis, de quibus agitur, poetis hoc verbum cum dativo coniunxit, sed semper cum praepositione. itaque nescio an ex Isidori librorum vestigiis[6]) confidenter hoc, quod ipsi Ribbeckio olim placuerat, reconcinnandum sit: 'Ex ore in oculos tui bibones mi involant.' quacum scriptura cf. *Plaut.*

---

[1]) cf. p. 15 adnot. 1.

[2]) cf. Kampmann. de re milit. p. 8.

[3]) sic cum Ribbeckio lego.

[4]) com. fr. p. 216.

[5]) coroll. p. LXXVIII.

[6]) cf. Ribb. adnot. crit. ad h. l.

Mil. 1400: 'in hominem', Most. 203: 'illi in oculos ..... stimulatrici', *Terent.* Eun. 648: 'illi in oculos', ibid. 860: 'in capillum', *Afran.* v. 245: 'in collum.'

44. **Intercedere** (Ter.) semel cum dativo iunctum reperitur apud *Terentium* Andr. 961: 'si nulla aegritudo huic gaudio intercesserit.' semel apud eundem praepositio posita est Hec. 305: 'unde ira inter eas intercessit.'

45. **Intervenire** (Pac. Ter.) dativum regit et apud *Pacuvium* v. 13: '. . . . sol si perpetuo siet, Flammeo vapore torrens terrae fetum exusserit Nocti ni intervenerit, fructus per pruinam obriguerint', et apud *Terentium* Heaut. 281: 'ubi de improvisost interventum mulieri', quod verto: wo man der frau über den hals kam. similis significatio est Eun. 553: 'Sed neminemne curiosum intervenire nunc mihi', Heaut. 679: 'nulla mihi res posthac potest iam intervenire tanta', ubi est 'contingere.'

46. **Oboriri** (incertus tragicus) et exoriri (Pl.) prius adfertur a Festo p. 190 M ex *incerto tragico* (trag. fr. p. 262 R): '. . . . tantum gaudium oboriri ex tumultu maximo!' ubi haud dubie requiritur dativus. itaque Ribbeckius[1]) probabiliter proposuit hanc scripturam: 'tantum gaudium oboriri *illis* ex tumultu maximo!' praeterea absolute hoc verbo usi sunt *Ennius* trag. fr. v. 146 et *Terentius* Heaut. 680. — alteri verbo dativus adiungitur *Plaut.* Men. 1039: 'Nimia mira mihi quidem hodie exorta sunt miris modis.' addita est praepositio Men. 829: 'ut viridis exoritur colos Ex temporibus atque fronte.'

47. **Obrepere** transitive dictum omnes libri exhibent *Plaut.* Poen. prol. 14: 'tacitum te obrepat fames', praeterea Ambrosianus liber Trin. 60: 'nempe enim tu, credo, me imprudentem obrepseris' cf. Brix. ad h. l. itaque consequens fuit, ut Ritschelius etiam Trin. 974: 'Nimis argute *me* obrepsisti in eapse occasiuncula' *me* insereret, non *mi*, ut visum erat Hermanno.

48. **Obtingere** (Pl. Ter.) personaliter (aliquid alicui obtingit) usurpatum legitur *Plaut.* Stich. 384 Truc. II 3, 23

---

[1]) adnot. crit. ad h. l.

Men. 899 Capt. 746 Most. 533 Mil. 1011. 1246 Rud. 1194 Aul. IV 10, 2 Cas. II 6, 46 Rud. 925. 873. 496 Merc. I 2, 15 Poen. V. 5, 48 Capt. 157; *Terent.* Heaut. 683 Phorm. 239. 577. 820 Hec. 579. impersonaliter hoc verbo usus est *Plautus* Rud. 1232 Bacch. 951.

49. **Obvenire** (Pl.) = evenire semel cum dativo legitur apud *Plautum* Truc. II 6, 40: 'haud ab re . . . . tibi istic obvenit labos.' idem verbum codex A exhibet etiam Trin. 469: 'atque ibi opulentus tibi par forte obvenerit', quo loco significat 'obviam venire', sed dativus pendet a 'par.'

50. **Occedere** (Pl.) = obviam venire cum dativo iungitur apud *Plautum* adiecto 'obviam' adverbio Asin. 412: 'Ne tu hercle cum magno malo *tuo* mi obviam occessisti', ibid. 404: 'Quisque obviam huic occesserit irato, vapulabit', Stich. 673: 'Bona scaeva strenaque obviam occessit mihi', Trin. 1138: 'Modo mi advenienti nugator quidam occessit obviam', ubi libri perverse habent 'accessit.' recte hoc verbum restitutum est etiam Pseud. 250: 'occedamus hac obviam' (scil. ei).

51. **Occumbere** (Enn.) vid. supra p. 3. — accusativus verbalis[1]) qui dicitur legitur *Enn.* annal. v. 384 Vahl: 'occumbunt mortem.'

52. **Occurrere** (Pl. Pomp.) adiecto 'obviam' adverbio cum dativo coniunctum legitur *Plaut.* Ep. II 2, 30: 'obviam ornatae occurrebant suis quaeque amatoribus' et *Pomp.* v. 125: 'obviam occurrit mihi.' 'occursare' autem cum accusativo coniunxit *Plautus* Mil. 1047: 'quanam ab illarum? nam ita me occursant multae (scil. puellae): meminisse haut possum', quod non recte intellexit Lorenzius, cum verteret: 'fallen ein, kommen in den sinn', immo 'adeundi' vim habet, sicut Brixius recte perspexit vertens: 'so viele überlaufen mich.'

53. **Praecedere** (Pl.) semel cum dativo coniungitur *Plaut.* Asin. 629: 'ut vostrae fortunae meis praecedunt, Libane, longe!' eademque vi adhibitum

54. **Praestare** (Pl. Ter. Nov.) dativum regit et personae et rei. legitur autem casus personae *Plaut.* Bacch. 973: 'Sed Priamus hic multo illi praestat', ibid. 387: 'nisi deos ei

---

[1]) cf. Draeger. synt. hist. p. 357 § 171.

nil praestare', *Terent.* Eun. 232: 'homini homo quid praestat?', Heaut. 875: 'Sed . . . Chremes 'Hoc mihi praestat', Phorm. 790: 'Hem vir viro quid praestat?', *Nov.* v. 20: 'puerum mulieri praestare noenu scis?'. — dativus rei extat *Plaut.* Mil. 777: 'atque *is* Alexandri praestare praedicat formae suam', Truc. II 4, 21: 'hoc tuis fortunis, Iuppiter, praestant meae', Cas. II 3, 4: 'eos (scil. coquos) eo condimento uno non utier, omnibus quod praestat?'

55. **Succedere** (Pl.? Enn.?) et procedere (Pl.). priori dativum personae adposuisse videntur *Plautus* et *Ennius*. *Plaut.* Bacch. 942: 'ita res successit *mi* usque adhuc'. sic enim Ritschelius duce Bothio recte scripsit. libri pro 'mi usque' habent 'meliusque'. *Enn.* trag. fr. v. 402: 'E spe quidem id successit[1] tibi'. addita est praepositio *Plaut.* Pers. 449: 'solet illa (scil. res) recte sum manus succedere'. — alteri verbo dativus adicitur *Plaut.* Capt. 464: 'quoi minus procedat quidquid facere occeperit' cf. Pers. 452. personaliter[2]] dicitur hoc verbum *Terent.* Adelph. 979: processisti hodie pulchre'.

56. **Suppeditare** (Pl. Ter.), intransitive: *Plaut.* Asin. 423: 'non queo labori suppeditare', *Terent.* Eun. 1076: 'Ut tuo amori suppeditare possint sine sumptu tuo Omnia haec'. — transitive: *Pl.* Asin. 819: 'Luxuriae sumptus suppeditare ut possies', *Terent.* Heaut. 930, quem locum cum novissimis editoribus lego: 'nam si illi pergo suppeditare sumptibus'. puto autem 'suppeditare' hic verbum transitivum esse sed absolute positum, ut 'sumptibus' pro ablativo habendum sit[3]); sicuti nos dicimus: einem mit etwas hilfreich an die hand gehn.

57. **Suppetere** (Pl. Enn.), cuius propriam vim Brixius (ad Trin. 57) optime nostro sermone sic explicat: 'an etwas hingelangen' itaque 'hinreichen', cum dativo iungitur apud *Plautum* et *Ennium*: *Pl.* Amph. 14: 'lucrum ut perenne vobis

---

[1]) sic recte scripsit Muellerus pro 'succenses' quod est in Varronis — nam is verba servavit — codice Flor.

[2]) sic etiam adhibetur 'provenire' (cf. Brix. ad Men. 914), cui semel tantum dativus adicitur Pl. Pers. 456.

[3]) cf. Holtz. synt. I p. 137.

semper suppetat', Epid. III 3, 16: 'Cui homini omnes suppetunt res prospere?', Pers. 331: 'Ut mihi supersit, suppetat, superstitet', Ep. I 1, 35: 'id modo videndumst, ut materies suppetat scutariis', Trin. 1119: 'ita gaudiis gaudium suppetat'. sic enim exhibent libri, sed scribendum est: 'ita gaudiis gaudia suppeditant' (cf. Bergk. diar. ant. stud. a. 1852 p. 348), Asin. 56: 'Quia non suppetunt dictis data', Trin. 57: 'Deosque oro, ut vitae tuae superstes suppetat' (scil. uxor tua), *Enn.* tr. fr. v. 370: 'namque regnum suppetebat mi', ibid. v. 324: 'non potis ecfari tantum dictis, quantum factis suppetit', quod verto: 'was tatsächlich vorliegt'.

58. **Superstitare** (Pl.) semel cum dativo personae legitur apud *Plautum* Pers. v. 331 iam supra adlato.

[redacted]

[redacted]

VITA.

Henricus Hahn natus sum die XVIII M. Junii a. 1854 in pago Rhenano, cui nomen Waldböckelheim inditum est, patre Philippo, quem mortuum lugeo, matre Margaretha e gente Ganns, quam superstitem gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Testimonium maturitatis in gymnasio Weilburgensi adeptus sum vere anni 1873. In universitate Lipsiensi per unum semestre, in Halensi per septem semestria studiis incubui philologicis. Audivi autem professores Bernhardy, Curtius, Dittenberger, Duemmler, Erdmann, Gosche, Haym, Keil, Kramer, Ritschl, Zacher. Seminarii philol. Halensis per duo semestria sodalis fui ordinarius. Deinde Zacher benigne permisit, ut societati suae theodiscae per biennium interessem. Quibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas.

THESES.

I.

Soph. Oed. Tyr. v. 827: *Πόλυβον, ὃς ἐξέφυσε κἀξέθρει με;* cum Wolffio retineo.

II.

Eur. Phoen. v. 1596: *καὶ τλήμον', εἴ τις ἄλλος ἀνθρώπω ἔφυ* spurium esse nego.

III.

Aeschin. *περὶ παραπρεσβ.* § 220, 15 legendum est:
ἰδὼν δὲ αὐτὸν ὁ Φίλιππος ὡς διέκειτο, θαρρεῖν παρεκελεύετο καὶ μὴ νομίζειν, ὥσπερ ἐν τοῖς θεάτροις, διὰ τοῦτό τι πεπονθέναι sqq.

IV.

Verg. Eclog. III v. 109 et 110 sic scribendos esse cense
Et vitula tu dignus et hic. — Et quivis amores
Aut metuet dulcis aut experietur amaros.

V.

Kudrun. 67, v. 2 et 3 utique sic emendandi sunt:
und grîfen an diu maere, welch ein swinde vart
mit dem wilden grîfen daz kint dannen reit.

VI.

De ob coniunctionis origine num recte iudicaverit Jacobus Grimm (gramm. theod. II p. 50. 988. III, 110. 284. 760 dubitaverim.

[redacted]